



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

Liber CXLV.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

KLIV.

straret.  
ini mil-  
imo se-  
ervenit,  
e Viri  
a acce-  
at cun-  
se vero  
it, post-  
c con-  
em re-  
Achi-  
iftianæ  
entrio-  
garunt.  
o repa-  
tesimo  
con-



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CXLV.



PAULUS III. ROM. PONT.  
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

*Pontificis Diploma ad Germaniæ Epif-  
copos de Synodo Bononiam  
translata.*

Cum Carolus Imperator Concilium **Sæcul. XVI.**  
Tridentum revocari toto studio **A.C. 1548.**  
urgeret, summus Pontifex vereri  
cæperat, ne propter obfirmatum Cæsa- *Pallav hist.*  
ris animum ex Synodo Bononiam trans- *Conc. Trid.*  
lata quid funestum eveniret, præcipue, *l. 10 c. 10. n. 2*  
*Et seq.*  
H h 3 cum

STO.

Sæcul. XVI. cum Germaniæ Præfules suis literis fat  
A.C. 1548.

*Sleid. comm.*

*l. 19. p. 694.*

*Thuan. hist.*

*l. 5. n. 1. ad*

*hunc ann.*

*Spond. hoc*

*ann. si. 1.*

aperte declarassent, quod Papa etiam  
inconsulto aliam viam ingredi velint,  
hinc Paulus III, cum horum Præfulum  
indignationem sibi accersere periculo-  
sum censeret, die prima Januarii An-  
no post Christum natum millesimo quin-  
gentesimo quadragesimo octavo ad eos-  
dem literas dedit, quibus Synodi Bo-  
noniam translatae æquitatem vindicans  
hæc exposuit. *Serius quidem, quam op-  
taverim, rescribo, sed cunctationis causa  
fuit adventus Madruccii a Cæsare ad ean-  
dem rem pertractandam missi; non enim li-  
cuerat mihi quidquam certi respondere, nisi  
auditis prius, ac expensis iis, quæ Cæsar  
in eandem causam protulisset: nunc vero  
significo, quod mea, & Mendoxæ petita  
cum vestris literis consonent, quapropter ea  
etiam, quæ transacta fuerant cum Ma-  
druccio, ac Mendoxa, atque redditi huic re-  
sponsi exemplar vobis transmitto, ut ex hoc  
responso percipere possitis, quænam dubia  
supererant prius dilucide declaranda, quam  
de Tridentino reditu decerneretur: Optant  
igitur singuli, atque expectant per hanc  
occasionem, manifestam fieri vestram æquita-  
tem, amoremque veritatis, ac justitiæ; unde  
ipsum vos hortor, ut pro veteri vestra con-  
suetudine, Ecclesiæ paci procurandæ, veræ-  
que fidei luci in Germania restituendæ stu-  
deatis, ac Bononiam ipsi, vel vestri procu-  
ratores*

*IVX. Jan. 1548.*  
*A.C. 1548.*  
*Jan. 1548.*  
*Jan. 1548.*  
*Jan. 1548.*

ratores adeant, sive ut ibi Concilium conti-  
nuetur, sive, ubi ea Sedes minus idonea cen-  
sebitur, novum in ea re consilium capi  
valeat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

Cum vero Germaniæ Præsules in  
nuperis literis Pontifici significarent,  
quod Concilio Tridentum non revocato  
alia inire velint consilia, ad hæc respon-  
dit Papa: *his minis neutiquam commoveor;*  
*abunde enim mihi conscius sum, quod nullam*  
*officii mei partem prætermiserim, & Ger-*  
*maniam ipsam summo studio, & charitate*  
*semper complexus fuerim: de vobis vero,*  
*deque Cæsare mihi polliceor, nihil nisi matu-*  
*re, consultoque molituros. Quod si spreta*  
*Romane Sedis auctoritate quidpiam tenta-*  
*bitur, non ego quidem prohibere possum,*  
*quod Christus ipse, quando Ecclesie funda-*  
*menta jecit, futurum præcunctavit: verum*  
*ut conatus feliciter succedat, non valde re-*  
*formido, Ecclesie fundamento in firmissima*  
*petra posito. Non semel hoc ipsum ab aliis*  
*tentatum, sed eversis eorum conatibus Deus*  
*in illis exemplum statuit, quid ab his sit*  
*expectandum, qui iisdem vestigiis insistent.*  
*Quod si qui futuri sint hodie, quos superio-*  
*rum temporum clades, pænæque nihil deter-*  
*reant, neque dimoveant ab incepto; hoc*  
*tamen persuasum habeo, quod ipsi in ea pie-*  
*tate, atque fide, qua semper præstiterunt,*  
*firmiter sint permansuri, neque in suis Con-*  
*ventibus consilia, ab Ecclesie dignitate alie-*

Sæcul XVI. na, ac remota, locum illum obtinere pas-  
A.C. 1548. suri sint.

§. II.

*Franciscus Vargas, & Martinus Ve-  
 lascus Bononiam missi.*

*Fallav. l. 10.* *c. II. n. I.* *Thu. l. 5.* *Belcar. ut su.* *pra l. 25. n. 8.* Cum autem Imperator de Pontificis constantia sat persuasus esset, celebres duos Jurisconsultos Franciscum Vargas de Mexia, & Martinum Soriam de Velasco Bononiam decrevit, qui etiam ibidem die vigesima quinta Novembris Anno priori millesimo quingentesimo quadragesimo septimo advenerant. His data agendi facultas signata erat eodem anno die vigesima secunda Augusti, proin quarto jam Mense, antequam Mendoza Cæsaris Legatus Pontificis responsum Romæ acceperat. Carolus itaque hisce Procuratoribus injunxit, ut contra Concilii translationem ulterius reclamarent, & hæc demum exponerent: „ cum Carolus Imperator probe „ prospexerit, Pontificis animum flecti „ haud posse, aliunde vero exploratum „ sibi habeat, quod Protestantes non nisi „ vi ad submissionem Synodi Decretis præstandam adigi valerent, insuper cum Synodi Patres aliunde ipsi declarassent, quod tunc, si circum reditum Tridentinorum Patrum ad Bononiensem Synodum responsa dare „ cun-

„ cunctaretur, ipsi Sessiones suas profe-  
 „ qui, ac cetera decreta circa fidei ar-  
 „ ticulos promulgare velint, hinc Ca-  
 „ rolus, ut evitetur schisma, has sessio-  
 „ nes inhiberi vult. „

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1548.

## §. III.

*Oratores in Patrum conventu audiri  
 postulantes.*

Ambo hi Deputati quemdam Patrum *Pallav. l. c.*  
 conventum die decima sexta Janua- *c. II. n. 2.*  
 rii habitum accedentes colloqui co- *Thou l. 5. n. I.*  
 piam postulant: Patres vero re in de- *Sleid. l. 19.*  
 liberationem vocata totum negotium *p. 697.*  
 Montano Legato commiserunt, qui cum *Sarpiib. l. 3.*  
 nec Cæsaris indignationem, nec Papæ  
 offensionem intempestiva hac repulsa fi-  
 bi accersere vellet, ambos hosce Orato-  
 res ad colloquium admittere, consultum  
 censebat. Ingrediuntur itaque illi, ac  
 Synodi scribæ Cæsaris mandata porri-  
 gunt, in quibus hæc legebantur: *Cum*  
*Cæsar Religionis, & Ecclesiæ causa adver-*  
*sus quosdam, qui se Legatos Apostolicos*  
*nuncupabant, & adversus quemdam Pre-*  
*sulum Conventum Bononiæ congregatum,*  
*qui Concilii nomen prætendit, protestari co-*  
*gatur, id vero per se ipsum efficere ob loco-*  
*rum distantiam minime possit, duos, quos*  
*jam nominavimus, Procuratores suos ad id*  
*ipsum exequendum constituit.*

Hh 5

Pro-

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

Probe observandum venit, quod Cæsaris literæ inscriptæ fuerint *Conventui Patrum Bononiæ*. Postea Vargas, qui Cæsaris nomine verba fecerat, institit, ut Scribæ, ac Testes, quos ipsi adduxerant, admitterentur. Verum utroque Oratore abire iusso hac super re Patrum sententiæ rogabantur, quæ tamen satis discordes erant; alii enim id indulgendum censebant, alii vero nec Testes, nec Scribas, utpote exteros, esse admittendos arbitrabantur, adducto Pontificii Senatus exemplo, quo hæc regula accurate servatur, nam id quoque Concilii dignitatem, quam Cæsar per epistolæ suæ inscriptionem impugnare videtur, exposcere aiebant. Tandem sancitum est, responsionem Oratoribus dandam biduo esse differendam, eo quod tum frequentior esset Patrum concursus; interea vero illis hæc Patrum sententia per Materanum, & Naniensem Episcopos significabatur. Ast illi eodem adhuc die audiri postulant, quod eis quoque datum. Ergo unacum duobus Scribis, ac quinque testibus admittuntur, ea tamen lege, ut his minime liceret quicquam seorsim in acta referre.

§. IV.

## §. IV.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.*Provida Patrum circumspectio ante  
admissos Cæsaris Oratores  
adhibita.*

Priusquam Patres ambos Cæsaris Pro-  
curatores exciperent, provida cir-  
cumspetione usi per Synodi Scribam hæc  
verba recitari iusserunt: *Tametsi nullo*  
*jure cogerentur Patres Cæsaris procurato-*  
*res audire, ut qui mandato Cæsareo ad quem-*  
*dam minime legitimum Episcoporum Con-*  
*ventum, non ad verum illud, & Oecumeni-*  
*cum, legitimeque congregatum Bononiæ Con-*  
*cilium missi fuerant, ne tamen unquam ob-*  
*tendi possit, non fuisse illic omnibus liberam*  
*accedendi, loquendique facultatem, hinc pla-*  
*cuit Synodo, ut hi audirentur: vult tamen,*  
*ut per hoc nec ipsi, nec ipsorum dicta, facta-*  
*ve comprobata censeantur, nec quidquam*  
*juris ademptum sit Concilio, quo minus sua*  
*decreta prosequatur, nec inde ulla juris*  
*accessio Cæsari facta existimetur, ac insu-*  
*per Prælati liberum sit Concilium jam*  
*inchoatum prosequi, ac contra eos, qui il-*  
*lus auctoritati sese subicere recusaverint,*  
*pænas sacris Canonibus sancitas juxta le-*  
*gum severitatem decernere.*

His perlectis Vargas petiit, ut fide  
publica constaret, a Patribus interpo-  
sitam



Sæcul. XVI. fitam fuisse hanc cautionem, priusquam  
 A.C. 1548. ipsi ea, quæ haberet, proponendi copia  
 fuisse data: postea Patres allocutus  
 dixit: „ quoniam Cæsaris Domini mei  
 „ literas perspexistis, unicum superest,  
 „ ut ego demandati negotii partes  
 „ expleam: Adsumus igitur coram  
 „ vobis, ut maximi negotii rem pertra-  
 „ ctemus; non enim nos soli, sed uni-  
 „ versa nobiscum Republica Christiana  
 „ vos rogat, & obsecrat, ut juxta æ-  
 „ quitatis leges procedatis; si enim  
 „ consiliis vestris non satis provide  
 „ conceptis insistere velletis, timen-  
 „ dum, ne mala inde eventura bono  
 „ publico admodum funesta accidant,  
 „ si vero æquo Cæsaris desiderio satis-  
 „ feceritis, sperandum venit, cuncta  
 „ prospere cessura, ut vero ea, quæ  
 „ mox protuli, melius comprehendere  
 „ valeatis, rem ab alto repetam, nullus-  
 „ que, ni fallor, erit, qui non satis  
 „ luculenter deplorandum prospiciat  
 „ statum, in quem vos conjicitis, nisi  
 „ & alia capiatis consilia, nec Cæsari  
 „ unice ad commune bonum intento  
 „ acquiescere velitis: quapropter e-  
 „ jusdem mandatis nihil ultra adji-  
 „ ciam. „

§. V.

Sæcul. XVI.

A.C. 1548.

*Cæsar contra Bononiense Concilium  
reclamans.*

Vix Vargas orationem suam absolverat Pallav. l. c.  
 his verbis: *Adsumus hic nos legitimi* Steid. ibid.  
*Cæsareæ Majestatis suæ Procuratores*, cum Acta Conc.  
 illico Montanus Cardinalis eum inter- Bon. Art.  
 pellans responderet: *Adsum hic ego pa-* Massarelli  
*riter verus Legatus veri, & indubitati Pon-* p. 45.  
*tificis, & adsunt hi sanctissimi Patres Con-* Raynald. hoc  
*cilii legitimi, & Oecumenici, coacti, trans-* ann. n. 7.  
*latique legitime ad Dei Gloriam, & Eccle-*  
*sia bonum. Ita est, adsum ego sacrosancti*  
*hujusce Concilii Præses Pauli III. Pontifi-*  
*cis, Petri Successoris, & in terris Christi*  
*Vicarii Legatus, una cum sanctissimis his*  
*Patribus, ut Concilium, Tridento legi-*  
*time translatum, ad Dei gloriam prosequa-*  
*mur, oramus Cæsarem, ut sententiam mu-*  
*tet, & nobis hanc in rem ferat opem, Con-*  
*ciliique perturbatores coerceat; haud enim*  
*ignorare potest, eum, qui sacris Conciliis*  
*adsert impedimentum, cujuscunque Ordinis*  
*sit, aut dignitatis, gravissimas legum pœnas*  
*incurrere. Verum utut res ceciderit, &*  
*quæcunque demum intententur minæ, non*  
*sumus tamen libertati, & honori vel Eccle-*  
*sia, vel Concilii, vel etiam nostro defuturi (\*).*

His

(\*) Ne miretur Lector, quod idem bis re-  
 peti-

Sæcul. XVI.

A.C. 1548.

His dictis Præses æque, ac Synodi scriba cautionem jam antea adhibitam reiterari jusserunt: Vargas vero Massarello Cæsaris mandata prælegenda tradidit, atque alter Orator Martinus Velascus Cæsaris literas, quibus contra Synodi translationem reclamabat, satis prolixas recitavit, quarum summa hæc est.

*Religione conquassata, moribus corruptis, & Germania ab Ecclesiæ communione segregata, ego Cæsar a Leone X. Adriano VI. Clemente VII. & demum a Paulo III., Concilii celebrationem efflagitavi, ac superatis difficultatibus quam plurimis, & impedimentis, quæ convocationem ejus interpellarunt, tandem obtinui, ut pro Synodi loco Paulus III. primo Mantuam, postea Vicentiam, ac demum Tridentum eo sine assignaret, ut Germani, quorum causa potissimum Synodus fuit indicta, eo commodius, ac securius eo venire possent, interea vero ego bellum in Germania tuendæ potissimum Religionis causa gessi, potentemque eam Nationem ad pacem, & obsequium armis meis adegì, bona spe fretus, eos, qui Concilium hæctenus repudiarant, eo jam non gra-*

petitum legat; Continuator enim prima Verba ex Pallavicino, posteriora vero ex suo Sarpio, qui tamen idem pro more suo aliis verbis protulit, consarcinavit.

gravate profecturos. Ast ipso hoc tempore Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.  
 Reverendissimi Legati præter omnium expe-  
 ctationem, inconsulto Pontifice, caussa levif-  
 sima, nescio qua, subito conficta, de trans-  
 ferendo Concilio statim proposuerunt, vix  
 dato ad cogitandum spatio, cumque quidam  
 pii, probique Antistites migrationi minime  
 assentiendum putarent, seque Tridenti man-  
 suros profiterentur, ipsi de paucorum Ita-  
 lorum assensu translationem decreverunt, &  
 die proxime sequenti Bononiam migrarunt.  
 Equidem ego, bello feliciter confecto, Pon-  
 tificem per literas, & nuncios sæpius roga-  
 bam, ut juberet Patres Tridentum redire,  
 propositis scandalis, & periculis impenden-  
 tibus, nisi Synodus in ea Civitate finem ha-  
 beat. Eodem tempore Conventum Augustæ  
 indixi, in quo a Germanis omnibus impe-  
 tratum, ut vellent Concilio se submittere:  
 ubi id consecutus sum, Cardinalem Triden-  
 tinum illico ad Pontificem misi, qui id ipsum  
 significaret, & Concilii Tridentini conti-  
 nuationem flagitaret, postea idem negotium  
 Didaco Mendozæ dedi, Romam ea gratia  
 ablegato. Cum autem Pontifex mora in-  
 terposita ad eos, qui Bononiæ congregati  
 sunt, rem detulisset; ab his responsum va-  
 rium, subdolum & captiosum accepi, im-  
 mo ejusmodi, quod a me merito damnari de-  
 buisset, utcunque illud approbavi, & cæcum  
 illum Bononiensem illegitimum, tum gene-  
 ralis Concilii appellatione cohonestavi, tum  
 pote-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

potestate tanta, quantam ipsi sibi nunquam arrogaturi fuissent, decoravi. Attamen li- quido constat, Concilium Tridenti indictum alio transferri non potuisse, nisi necessitate premente, diligenti habita disquisitione, & publica omnium Ordinum auctoritate interveniente, illi tamen, qui se Legatos disti- tant, abitionem Tridento maturarunt, fe- briculis quibusdam, & vitiiis aeris confectis, ac hanc in rem submissis quoque Medicorum testimoniis, quæ quam futilia fuerint, & nullo justo metu innixa, re, eventaque satis comprobatum est, certe si quæ abeundi ne- cessitas incubuisset, cum Pontifice saltem suis- set agendum, & cum Cæsare, cui Concilio- rum omnium est demandata Tutela: sed tan- ta festinatio fuit adhibita, ut vix semetipsos in consilium advocarint: porro non audiri modo, sed & expendi oportuisset diversas Patrum sententias, eorum præsertim, qui ex animi sententia loquebantur, qui etsi numero infe- riores, aliis tamen erant præferendi, quip- pe prudentia priores. Quod si omnino erat migrandum, extra ejusdem Provinciæ fines non fuisset exeundum, sed juxta sacrorum Conciliorum Decreta, alius in Germania locus deligendus, neque probabilis ulla cau- sa obtendi potest eligendæ Bononiæ, Urbis Ecclesiæ Romanæ imperio subditæ; eoquod certum sit Germanos eo minime venturos, cum hujus urbis rejiciendæ causæ vix un- quam cuiquam defuturæ sint, neque id aliud est,

est, nisi Concilium ex improvise dissolvere. *Secul. XVI.*  
 Ego itaque, cujus proprium est tueri Ec- *A.C. 1548.*  
 clesiam, & Oecumenica Concilia protegere,  
 cum videam, quod in componendis Religio-  
 nis per Germaniam dissidiis, tum in Hispa-  
 niæ, cæterorumque Regnorum meorum, ac  
 ditionum populis ad vitam vere Christianam  
 conformandis translatio Concilii per inju-  
 riam facta omnes rationes meas conturbet,  
 Legatorum nomen sibi vendicantes una cum  
 Episcopis obtestor, ut Tridentum, unde di-  
 verterunt, velint repetere; id enim ab iis  
 nunc recusari non potest, qui se id facturos  
 ante receperant, ubi primum pestilentia me-  
 tus descæverit; id si fecerint, rem populo  
 Christiano gratissimam præstabunt, sin mi-  
 nus, Germani de speciali meo mandato pro-  
 testabuntur, ac declarabunt, hanc Concilii  
 translationem, sive recessum, illegitimum  
 esse, ac invalidum cum omnibus, quæ jam  
 facta, vel deinceps fient: neque illos, qui  
 dicuntur Legati, atque Episcopos a Ponti-  
 ficis nutu pendentes, ea auctoritate pollere,  
 ut in causa Religionis, morumque emen-  
 dandorum Christianis omnibus normam pos-  
 sint præscribere, sed maxime iis Provinciis,  
 quarum mores, & instituta non habent per-  
 spectâ: profitebimur porro, Pontificis, Pa-  
 trumque Bononiensium responsum esse ine-  
 ptum, illegitimum, fraudulentum, figmen-  
 tisque plenum, omniaque inde nata, aut na-  
 scitura damna, tumultus, ruinas, populo-  
 rum

Sæcul. XVI. rumque excidia, non mihi, sed huic Con-  
 A.C. 1548. ventui, Concilii sibi nomen vendicanti, im-  
 putanda, qui facillime juxta Canonum  
 sanctiones malo huic mederi poterat.

## §. VI.

*Montani Cardinalis responsum ad hasce Cæsaris literas.*

*Pallav. l. 10. c. 11. n. 5.*  
*Thu. hist. l. 5. num. 1.*  
*Sleid. l. c. p. 700.*  
*Belcar. l. 25. num. 9.*

Denique declarabatur in hisce literis, quod tunc, si Pontifex, ipsique Patres salutem publicam sua culpa negligant, Imperator Ecclesiæ curam, ac tutelam in se suscepturus sit pro virili, quantum quidem jure licet, ac prout dignitati suæ Cæsareæ, Regiæque, & sanctorum Patrum, totiusque orbis consensio est consentaneum. Tandem Oratores hanc, ut vocabant, protestationem absolverunt, postulantes, ut hoc Cæsaris mandatum, cujus exemplar scribæ tradebant, publico testimonio firmatum in acta referatur. Verum ad Velasci orationem nequaquam deerat responsum Cardinali Montano, qui mox ita perorabat: *Ea, quæ a vobis Procuratoribus allata fuerant contra meam, Collegæque mei dignitatem, contra legitimam translationis rationem pro securitate, ac libertate Tridentina, vera non sunt; Deum hujusce rei testem appello, ejusdemque rei certas probationes in tempore exhibebo. Ego quidem, atque Collega meus*  
 veri

veri sumus Apostolicæ Sedis Legati; Cæ- Sæcul. XVI.  
 sar, quod Cæsareæ Majestatis pace dictum A.C. 1548.  
 sit, filius, non arbiter, aut Magister est  
 Ecclesiæ: quocirca ipsum rogo, ut mutato  
 Consilio illi Synodo saveat, ejusque pertur-  
 batores reprimat, memor, hujusmodi homi-  
 nes, quacunque dignitate præditos, pœnis  
 gravissimis subjacere. Verum quidquid tan-  
 dem continget, Et quicumque demum Lega-  
 tis, ac Patribus terror objectabitur, nun-  
 quam nos libertati, dignitatique Synodi, Et  
 Ecclesiæ deerimus, quinimo una cum Pa-  
 tribus paratissimo animo Martyrium potius  
 subibimus, quam ut consentiamus, exemplum  
 induci, quo Laicorum potestas vim inferat  
 Concilio, eique libertatem adimat. His  
 demum adjecit Montanus Cardinalis, quo-  
 niam autem hic vester libellus prolixior est,  
 hinc quarto post die redire poteritis respon-  
 sum accepturi; quod si vero tunc adesse re-  
 nueritis, nihilominus responsum in lucem  
 publicam prodibit. Verum Cæsaris Pro-  
 curatores præstituta die non compare-  
 bant, sed altera die summo mane inde  
 profecti sunt.

## §. VII.

*Hoc responsum ante illius promulga-  
tionem examinatum.*

Cum autem Legatus hoc suum respon-  
sum tranquillo animo perpenderet,



Sæcul. XVI. satisque intelligeret, quod longe ma-  
A.C. 1548. jor venia ab auribus linguæ, quam ab  
 oculis calamo indulgeatur, præcipue  
 ubi ea, quæ dicta sunt, publicis tabu-  
 lis inferere oportet, hinc multa refe-  
 cuit ex iis, quæ ex nimio sermonis æ-  
 ftu protulerat, præsertim vero, quic-  
 quid Cæsarem offendere potuisset, pe-  
 nitus deletit, suamque responfionem  
 ita perpurgatam in quodam Patrum cœ-  
 tu die decima nona Januarii habito ex-  
 hibuit. Subibat illa examen oppido ri-  
 gidum, & necdum inter Patres conven-  
 rat, sub quibus verbis hoc responfum  
 tuto publici juris fieri posset, hinc di-  
 versæ Nationis nonnullis Præsulibus  
 dabatur negotium, ut juxta ea, quæ a  
 Legato proponi perceperant, hanc re-  
 sponfionem elimarent, ac postea desu-  
 per referrent. Verum hi censuerunt,  
 quod *ipsis cum potentiori res sit, adeoque  
 possint verba singula causæ potius officere,  
 quam prodesse, simulque Cæsari seu causam, seu  
 novæ indignationis prætextum præbere, præ-  
 cipue plebi, quæ semper ad obtrectandum pro-  
 na est, atque argumentum censuræ, qua vel  
 modestiam vel prudentiam carperet, desume-  
 re potest.* Quapropter post maturam  
 quatuor horarum deliberationem Pa-  
 tres unanimi suffragio in hæc brevissi-  
 ma verba responfionem contraxerunt:  
*Sacrosancta Synodus, cujus auctoritas, ac  
 potestas*

*potestas legitima in dubium revocari non potest, respondet: cum ea omnia, quæ tuo nomine exposita nobis sunt, ab omni ratione dissentiant, simulque pio, & Catholico invictissimi Cæsaris animo repugnare videantur, hinc sibi certo persuadet, ea vel absque mandato Cæsaris, vel ab eo ipso perperam de rebus edocto fuisse profecta: atque ita mandat tibi significari, quod tamen nullatenus Synodus resiliat a cautionibus, quas in Cætu diei decimæ sextæ hujus mensis adhibuit.*

Sæcul. XVI  
A.C. 1548.

Hoc denique responsum post maturam discussionem in quodam cœtu die vigesima Januarii habito fuit approbatum, ac denuo post meridiem Patres omnes convenere, ut illud Cæsaris Oratoribus traderetur: cum autem hi usque ad seram noctem frustra expectarentur, omnia hucusque gesta actis inferebantur, hoc addito, quod per Concilium non stetisset, quo minus hæc responsio Oratoribus fuisset reddita.

§. VIII.

*Marcelli Cervini Legati adventus  
Bononiam.*

**D**um hæc interea Bononiæ gerebantur, Marcellus Cervinus Cardinalis die vigesima secunda Januarii illuc advenit, moxque altera adventus die

*Pallav. l. 102  
c. 12. n. 1.*

S. encl. XVI.

A. C. 1548

litteras accepit, quibus Papa eidem hæc significabat: *Perspectum satis est, continuationem Synodi cum ea indignantis Cæsaris repugnantia perinde futuram, ac si Ecclesia quasi sub ardenti Sirii meridie irrigaretur, unde non alimentum, sed usionem traheret. Porro Concilium diutius otiosum, tanquam rem, quam fieri nec posse, nec debere constat, semper vos Legati vituperastis. Idcirco, cum delecti Romæ Consultores censuissent, multos Patrum Bononia vocandos esse ad me de rebus edocendum, vos animosiora Consilia, quæ alias significastis, declinantes, & longe alia mentis acie pericula schismatis tunc impendentia, quam prius remota spectastis, suspensionem suadebatis dicentes, alia ratione nunquam subtractum iri Cæsari titulum, quem obtendebat, expetendi in urbe Tridentina Concilii, quippe ibi semel legitime convocati, nec unquam, prout ipse contendebat, inde legitime translati, quod si forte ea posita suspensione idem Cæsar urgeret, Ecclesiæ opus esse Concilio, & tunc, si ego ejus convocationem ibidem neglexero, munus illius convocandi ad se devolvi: statim hic lapis amoveri poterit, si ego extemplo revocavero suspensionem, & Synodum vel Bononiæ, vel Romæ celebrandam indixero.*

## §. IX.

*Mendoza Legatus Romæ contra Synodi translationem reclamans.*

Eodem tempore Mendoza Legatus ex Cæsaris jussu Senis Romam venit, dato eidem negotio, ut præsentibus summo Pontifice, Cardinalibus, ac Principumque Oratoribus eo convocatis in Patrum Senatu contra noniensium declarationem ipse quoque suam oppositionem exponeret: Igitur Mendoza Senatus aulam ingressus flexis coram Papa genibus orationem suam, quam scriptam tenebat in manibus, publice prælegit, atque a Cæsaris vigilantia, & studio in unienda Republica Christiana, & opinionum de Religione varietate divulsa exorsus ita perorat: *Notum est omnibus, quibus officiis cum Hadriano VI., Clemente VII., & ipso Paulo III. actum sit, ut ad indicendum Concilium possent adduci; cui, cum Germanicæ perduelles sese nollent submittere, Cæsar eadem pietate motus, ad obsequium armis eos adegit. Equidem huic bello Pontifex (ne causæ publicæ deesse videretur) leve ali- quod militum subsidium contulit: Vere tamen affirmandum est, solas Cæsaris vires tam grave bellum ad finem perduxisse, quo cum ille occupatus distineretur, ecce bonum*

Sæc. XVI. A.C 1548. illud opus Tridenti inchoatum, perniciose transferendi Concilii machinatione interturbatur, neque veris, neque verisimilibus de causis, sed tantum ad quietem publicam interpellandam excogitatis, etiamsi Patrum pars longe melior, & sanior translationi obfisteret, & ibidem manendum existimaret, quibus certe Concilii nomen tribuendum erat, non illis, qui Bononiam se receperant, ut cunque illos Pontifex eo nomine excornet, eo quod ipsi adhæreant, ejusque voluntatem Cæsaris, Ferdinandi, & Principum Imperii precibus anteponant, susque deque habita Germanicæ salute, & errantium in viam rectam reductione, quibus Concilio Tridentino jam se submittere promptis, non aliud sperabat Cæsar, nisi quod Concilium Tridentum remearet. Ea de re cum ipse ego tum Orator supra dictorum Principum nomine supplicasset Pontifici, data est responsio subdola, artificii referta, nulloque rationis firmamento innixa. Unde cum viderem, petitiones tum a me tanquam Oratore Cæsareo die decima quarta, & vigesima septima Decembris factas, tum etiam decima sexta Januarii die ab aliis ejusdem Majestatis procuratoribus Bononiæ exhibitas, neque hic, neque illic ullo loco, & numero esse, aperte tunc protestatus sum, migrationem Tridento, & Translationem Concilii Bononiam nullam esse, atque illegitimam, sed & contentions in Ecclesia excitare, fidem Catholicam,

licam, ipsamque Religionem in periculum adducere, Ecclesiam scandalis objicere, ejusque statum deformare. Eapropter omnia detrimenda, dissidiaque inde eventura, Pontifici sunt imputanda, cum is, etsi cum capituli periculo malis occurrere teneatur, eorum tamen auctoribus & impense faveat, & fomenta etiam adhibeat. Imperator certe cessante in officio Pontifice, omni conatu, quod sui muneris est, præstabit, uti Cæsarem, Regemque docet, secundum formam a sanctis Patribus sancitam, & de communi omnium assensu stabilitam. His dictis Orator ad Cardinales conversus hæc subjunxit; quandoquidem Pontifex paci Religionis, Unioni Germanicæ, & morum reformationi operam dare recuset, si vos ipsi itidem negligentes fueritis, perinde contra vos æque, atque contra summum Pontificem mox dicta esse intelligenda declaro. His verbis orationem suam absolvit, cum autem nemo quidquam ei reponeret, scriptum, quod in manibus tenebat, eisdem relinquens discessit.

§. X.

*Responsum Pontificis ad Mendozæ orationem.*

Hunc sermonem Pontifex tacitus ex-  
 ceperat, evoluto autem exiguo  
 temporis spatio Oratori abeunti per  
 Blofium

Sæc. XVI.  
 A.C. 1548.

*Pallav. l. c.  
 c. 13. n. 2.  
 Sleid. l. 20.  
 p. 709.*

Sæcul. XVI. Blofium Palladium Fuligensem Episcopum, quem a secretis habuit, admonuit, ut proximum Senatum accederet, responsionem accepturus: Porro interim Legati Pontificij sententias suas circa hanc rem pronuntiatas ad Pontificem transmiserunt, suadentes, ut in translationis negotio ejusmodi sequeretur consilia, quæ magis mitia, magisque reverentiæ Cæsari debitæ consona viderentur, atque Synodum supprimendo saltem aliquid Cæsaris voto indulgeretur, simulque Pontificia dignitas ab eodem impugnata, servaretur illæsa: Igitur Mendoza ad publicum Purpuratorum Senatum die prima Februarii vocatus comparuit, contestatus, quod ideo, ut Pontifici morem gereret, huc venerit: de cetero autem id sui officii minime esset, nec vellet quicquam Domini sui juribus derogare. Postea Palladius responsionem quinquaginta ferme paginis constantem, atque a Paulo Cardinale concinnatam recitavit, cujus summa hæc erat:

*Magnum Pontifici, ac Cardinalibus mærorem incussit Cæsarei Legati oppositio, cum hæc pessimi sit res exempli, „ neque „ hæctenus usurpata, nisi ab iis, qui „ vel prorsus obedientiæ jugum excusserunt, vel in ea cæperunt vacillare. „ Verum adeo non Pontifex sibi persuasum*

Sæcul. XVI.

A.C. 1548

*Tau l. 5. n. 1.*

*Raynald. hoc*

*ann n 26.*

*Diar. Conc.*

*Trid. & Bon.*

*p. 282.*

„ sum habere potest, quod hujus re- Sæcul. XVI.  
 „ pugnantiæ Cæsar sit auctor, quin- A.C. 1548.  
 „ imo ab hac suspitione tantopere alie-  
 „ nus est, ut etiam spe fretus vivat, fo-  
 „ re, ut Imperator eos, qui legitimam Ec-  
 „ clesiæ potestatem agnoscere renuunt,  
 „ ad officium redigat, eosque pro deli-  
 „ cti ratione severe puniat: „ *Minus igitur expectari potuisset ejusmodi actio eo tempore, quo Cæsar cum Protestantibus bella gereret, & de suis, Ecclesiæque hostibus victoriam reportaret, Papæ copiis ingentibus adjutus: id ergo subsidium longe alium recenti parta victoria pietatis fructum promeruisse, quam ut hujus belli finis initium esset adversus Papam contestandi. Nihilominus solatium postea ex mandatorum lectiōe supervenit, quod inde ortum habuit, cum ibi observatum esset, quod a Cæsare tradita non esset Mendozæ facultas litis in Pontificem movendæ, sed coram Pontifice in Patres Bononienses, utpote in Conventum, quem ipse non legitimum existimabat, adeoque caussa deferretur a Cæsare ad Pontificem, tanquam ad Conciliorum, & Ecclesiæ supremum Judicem: neque contra Pontificem contestandi potestas in mandatis contineretur, nisi ad summum, ubi Pontifex illius caussæ cognitionem nollet admittere, quod non modo non evenerat, sed ne ipsa quidem controversia adhuc ad Pontificem delata fuerat: perspicuum igitur est, Orato-*  
rem



Sæcul. XVI. A. C. 1548 *rem mandati fines fuisse transgressum: Etenim modestissimus Cæsar, cum se læsum a Legatis, & Episcopis Bononiam profectis arbitraretur, non aliud Oratori suo injunxerat, nisi ut ad Pontificem, sacrumque Collegium eos deferret: Orator autem hoc judicio prætermisso, petiit tanquam de jure, ut nulla prius habita causæ cognitione, ipsi Legati, ac longe major pars Tridentinorum Patrum damnarentur, dum contendebat, illorum Decretum pro irrito habendum, quasi a partium studio, non a ratione profectum: quo exemplo nihil præteritis Conciliis repugnantius, nihil futuris perniciosius foret, & multo convenientius fuisset, ut minor pars, quæ Tridenti remanserat, si arbitrabatur Synodum perperam fuisse translata, excusationes suas, querelasque ad Pontificem mitteret, quas ille perpendisset, perinde atque nunc volebat hujusmodi articulum perpendere, ob æquissimum pii Cæsaris postulatum, ea sinceritate, & æquitate, quæ postea a Palladio exponetur. Poterit itaque Orator perspicere, quam merito Pontifex, Cardinales, omnesque viri probi lætarentur, quod se solutos cernerent eo metu, quem contestationis sonus ipsis incusserat: proinde grates Deo agendæ sunt, eoquod is, dum Cæsar seditiosis consiliis obsidebatur, illi adeo sua ope præsto fuerit, ut non modo hic non consenserit, sed in rectam viam pedem flexerit, ex quo etiam*  
Oratori

Oratori sui Principis gratia lætitiæ caus- Sæcul. XVI.  
 sa suppeteret: quod vero ad ipsum orato A. C. 1548.  
 rem attinet, gaudendumve ei, an dolendum,  
 ipsius iudicio permittimus. Hoc posito,  
 nihil amplius opus est contestationem consu-  
 tare, quippe irritam. Veruntamen quoni-  
 am ea, quæ per eam opponebantur, si suis-  
 sent silentio prætermissa, possent a multis  
 vera credi, cum gravi animarum detrimen-  
 to, hinc iussit Pontifex, ut earum saluti con-  
 sulens, illis distincte responderem. Equi-  
 dem universa contestatio eo tendit, ut nimi-  
 rum Pontifex negligens, Cæsar diligens in  
 celebrando Concilio ostendatur: Porro si O-  
 ratoris argumenta solum Cæsaris sedulita-  
 tem spectassent, nihil aliud respondere fo-  
 ret necesse, nisi gratulandum Ecclesiæ, Deo-  
 que gratiæ persolvendæ, quod adeo studio-  
 sus Religionis Cæsar ipsi concederetur. At  
 Pontificis mens non est, ex obscurata virtu-  
 te Cæsaris sibi lucem augere, quod invidi  
 foret, nec optat, ut illius pietas minor ef-  
 fulgeat, quotidie enim preces Deo fundit, ut  
 illustrior reddatur: Verum in eo, quod  
 Mendoza jactaverat de Pontificis incuria in  
 urgenda Synodo, non gravetur Cæsar po-  
 tius audire, quod sicut Pontifex ætate est an-  
 tiquior, ita in hac pia voluntate antiquior  
 Cæsare fuerit, cum eam semper ostendisset  
 adhuc Cardinalis, ac supra ceteros suis de-  
 cessoribus significasset, quod testari poterunt  
 præcipue Cardinales, illius temporis sibi  
 Colla-

Sæcul. XVI. Collegæ: hujusmodi voluntatis veritatem,  
 A.C. 1548 Et efficaciam, statim ac eam Sedem ascende-  
 rat, comprobavit, cum id negotii primum  
 omnium apud Principes promovisset, nulla  
 unquam opportunitate prætermiffa, quam  
 varia rerum eventa subinde obtulerant. Si  
 Mantua, ac Vicentia destinatae a Concilio  
 Sedes in irritum cesserunt, id Pontifici neu-  
 tiquam imputandum eam ob causam: nec in-  
 fectæ rei eventus harum urbium conditionibus  
 adscribendus, quasi minus fuissent idoneæ,  
 ut eo variae Nationes confluerent, cum in  
 comperto sit, eas potius ob locorum commo-  
 da, regionumque ubertatem Tridento longe  
 præstare. Aliæ insuper intervenerunt caus-  
 sæ, ac præsertim bellum inter Christianos  
 Principes, potissimum scilicet Concilii obsta-  
 culum: qua in re Pontificis studium illius  
 convocandi eo magis studio Cæsaris præcel-  
 luerat, quod hic, dum sponte, vel invitus  
 tot annos hujusmodi bellis Christianos popu-  
 los obvolverat, celebrandæ Synodo viam ob-  
 struxerit: e contra Pontifex ad pacem per-  
 petuo cohortatus, nunquam arma moverit,  
 quæ vel minimum tam pium opus obturba-  
 rent, nec unquam a statu inter partes me-  
 dio recesserit, Et nunquam cum ullo præter-  
 quam cum ipso Cæsare fædus junxerit in eo  
 bello, quod supra cetera videbatur viam  
 Concilio convocando sternere, ut (sicuti  
 Mendoza sua denuntiatione affirmarat) ii,  
 quos rationum efficacitas haud permoverat,  
 per

per vim cogentur. Verum non est diutius Sæc. XVI.  
A.C. 1548.  
 insistendum comparationibus, quæ semper in-  
 vidiam pariunt, minusque conveniunt. Cum  
 ad laudem pietatis spectat, quæ tandem,  
 quæcunque sit, tota Deo tribuenda est, quo-  
 niam vero novam Pontificis industriam Ora-  
 tor expendi jusserat, hanc in rem prorsus sa-  
 tis esse videtur, ut is animo revolvat res ab  
 eodem per eos annos, quibus Ecclesiam ad-  
 ministrat, gestas, ac famæ notas; cum  
 in iis ipse animus Religionis studio arden-  
 tem facile perspicere possit; ferme enim nul-  
 lus præterit annus absque nova Nuntio-  
 rum, Legatorumve missione, ut, ubi quid  
 affulserat spei ex armorum intervallis, Sy-  
 nodi negotium repeteretur, Et ad id ipsum  
 stabilis concordia perficeretur, in quo Pon-  
 tifex tam ardentem se gesserat, ut ingrave-  
 scientium annorum pondus ipsum minime re-  
 tinuerit ab imponendo sibi non semel ha-  
 rum Legationum labore. Verum quia nihil  
 Orator de iis accusaverat, quæ translatio-  
 nem præcesserant, nec in ea pariter de Pon-  
 tifice, quippe illius ignaro, conquestus fue-  
 rat, sed duntaxat de Legatis, qui eam ipso  
 inscio peregissent, suasque de Pontifice que-  
 rimonia orsus fuisset ex eo, quod hic Epi-  
 scopos, qui Tridenti subsisterant, læsisset,  
 dato Concilii nomine cætui Bononiensi, hinc  
 animadvertat Orator, par itidem præjudi-  
 cium (si appellandum ita erat) factum æ-  
 que fuisse, Et a Cæsare, Et ab ipso Ora-  
 tore,

Sæcul. XVI  
A.C. 1548.

tore, quorum uterque postulabat, ut Pontifex Concilium revocaret Tridentum, cum id non posset de alio Concilio intelligi, nisi de tunc jam coactō Bononiæ: neque reprehendendus est Pontifex, quod is, cum Judex sit, Concilium appellaret Conventum illum, in quo de ea dignitate litigabatur: nam liberum est judici, ante latam sententiam voces adhibere a reliquis usitatas, jam vero reliqui plane omnes hoc pacto loquuntur, Concilium fuisse Bononiam translatum. Quinimo, cum eam partem tueri Legati, ac major Patrum numerus viderentur, haud licitum erat judici pendente causa eos eo titulo spoliare: propterea quod in re dubia major pars etiam sanior censenda esset, cum praesertim Legati collatam sibi a Pontifice facultatem habuissent Concilii transferendi: Utrum autem id legitimo ritu peractum fuerit, penes Pontificem judicium est, relicta interim cætui nominis possessione: jam vero quod Orator dixerat, id effectum a Patribus Pontifici addictis: certe cavere debuisset, ne, cum Tridentinos tanquam Pontifici non addictos laudaret, id in ipsis laudaret, unde schismata oriri solent: quod si addictos eos intelligeret, qui jure, vel injuria Pontificias partes tuentur, nullos Papa agnoscit homines sibi addictos, siquidem non alias, nisi Parentis erga Filios, partes sibi retinebat, nec ulla de Pontifice controversia in Concilio ad eam usque diem orta fuerat.

Non

Non alia ergo ratione illos sibi addictos vult. *Sæcul. XVI.*  
 nisi qua ipsorum conscientia, ac libertas, *A. C. 1548.*  
 quam Legatis supra reliqua commendaverat,  
 minime læderetur. Dein argumentatio qua-  
 si inexpugnabilis adducta a Mendoza, non  
 valet, nimirum, excusari non posse Pon-  
 tificis negligentiam in procuranda salute Ger-  
 manicæ, eo quod Concilium Tridenti reten-  
 tum recusasset, pro quo Cæsar ac Romano-  
 rum Rex preces fuderant, & cui Protestan-  
 tes se submittere pollicebantur, nam nun-  
 quam id absolute fuit repudiatum a Pontifi-  
 ce, dummodo cum earum Provinciarum e-  
 molumento, & sine aliarum offensione fieret.  
 At de hoc ipse Cæsar postea dubitabat, su-  
 periorum annorum exemplo permotus, cum  
 semel, atque iterum comitia illic indixisset,  
 Legatis ad postulantis Germanicæ utilitatem  
 eo missis, nec ullus ibi ex Germanis Anti-  
 stes, sed soli paucorum Procuratores adfuis-  
 sent, cujus rei testis oculatus laudari pote-  
 rat ipse Mendoza, ut qui utraque vice tan-  
 quam Orator Cæsareus illic intervenerat,  
 ac prima vice tum ille, tum ipsius Col-  
 legæ noluerant Præsidum patientiam imitari,  
 frustra iterum, atque iterum ab his rogati,  
 ut ibi remanerent, quo ipsorum exemplo ce-  
 teri pertraherentur: altera vero vice com-  
 pertum est Mendozæ, quam diuturnam mo-  
 ram perpeti oportuerit, antequam opus in-  
 choaretur, & quo pacto tandem inceptum  
 fuerit ab Episcopis aliarum nationum magis  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Kk distan-*

**Sæc. XVI.** *distantium, sed absque Germanis, qui de*  
**A.C. 1548.** *cetero ad ea, quæ nunc adducuntur ob Cæ-*  
*saris Victorias, subjectionemque protestan-*  
*tium, unde aliæ essent temporum conditio-*  
*nes, in primis opponi posset: si Protestantes*  
*sinceris animis sese Ecclesiæ submitterent,*  
*coarctandum ab illis non fuisset Concilium*  
*certo loco: Lex vetus hoc in genere labora-*  
*bat sancto Spiritu nondum affuso, ut non-*  
*nisi in sola Hierosolyma offerre liceret Sacri-*  
*ficia, sed in lege gratiæ S. Spiritus præ-*  
*sentia ad unam tantummodo civitatem se-*  
*neutiquam restrinxit, Et quamquam morbus*  
*Germaniam invasisset, posset tamen ubique*  
*locorum de curatione deliberari, quod si se-*  
*cus foret, inter Danos etiam, inter Go-*  
*thos, inter Bohemos, ac Brittanos, non*  
*minus ægrotos, esset Synodus celebranda.*  
*Insuper consueverat Ecclesia pro hujusmodi*  
*Conventuum Sede locum statuere commodum*  
*non accepturis, sed præscripturis medicinam,*  
*quemadmodum superiorum Conciliorum ex-*  
*empla monstrant. Ex hujusmodi præscri-*  
*ptione loci a Germanis habita adimitur ce-*  
*teris debita libertas; ipsi vero auctoritatem*  
*minime debitam eligendæ Concilio stationis*  
*sibi arrogant. Verum hæc dicta sint, non*  
*ut Germanicæ apta illa gratificatio negetur,*  
*sed solum ut palam fiat, rem non versari*  
*in statu denegatæ justitiæ, cui hæc extrema*  
*remedia contestationis in Pontificem adhiben-*  
*da essent. Cæterum Papa minime recusat,*  
*in*

in eo Germanicæ votis indulgere, unde nul- Sæc. XVI.  
 latenus absque manifesta calumnia responsum A.C. 1548.  
 ab eo redditum Cæsaris petitionibus deberet  
 appellari, non legitimum, subdolum, ali-  
 enum a proposito, simulationibusque ple-  
 num; quemadmodum Orator dixerat, qui-  
 bus accusationibus responderetur, si capita  
 rerum, quas ipse arguebat, explicarent, eo-  
 rumque probationes proferrent, sed cum illæ  
 solum generatim loquantur, nihil aliud po-  
 test ex adverso reponi, nisi ut adjiciatur  
 animus ad vetustissimam Ecclesiæ consuetu-  
 dinem, atque ipsorum Cæsarium sanctiones,  
 observeturque, an ipsis consonent, nec ne, ut  
 in Concilio dogmata jam stabilita in contro-  
 versiam minime revocentur, nec privati ho-  
 mines ad jus suffragii admittantur, & loci,  
 capitumque libertati abunde consulatur. Ad-  
 jecit equidem Mendoza, cuncta mala even-  
 tura Pontificis negligentia tribuenda, Cæ-  
 sare vero apud se statuisse illis occurrere,  
 suscepta pro suo munere Ecclesiæ tutela.  
 His respondetur, quod Pontifex, quantum  
 ipsi ope divina per naturæ imbecillitatem licet  
 sustinere, nunquam commissurus sit, ut in  
 tanti momenti munere negligentia locum si-  
 nat: quod si aliter accidisset, quandoquidem  
 septies in die cadit justus, minus ipsi de ejus  
 negligentia dolendum est, ubi ea vigilantiam  
 Cæsaris exacuit ad opitulandum Ecclesiæ,  
 dummodo id efficeret ea ratione, quam ex-  
 posuerat Orator, hoc est, quatenus intra le-  
 gum



Sæcul XVI. gum Ecclesiasticarum fines, Patrumque præ-  
 A.C. 1548. scripta se contineret. Id si præstaret, hu-  
 jusmodi contestationibus in posterum opus non  
 foret, cum speret Pontifex, suam incuriam  
 nunquam eo progressuram, ut adjutus ipse  
 industria Casaris in eo, quod ad diversum  
 ipsius munus pertinet, eundemque finem spe-  
 ãat, Christianæ Reipublicæ saluti per sum-  
 mam tranquillitatem non consuleret. Por-  
 ro illud unum superesse videtur, cujus intra  
 limites, si se cohibuisset Orator, nec fuis-  
 set mandata sibi data transgressus, nec tot  
 sermonibus, offensionibusque tam copiosam  
 materiam præbuisset, & certe omnis contro-  
 versæ argumentum fuisset præcisum. De  
 cetero minime latet Pontificem, quod in re-  
 sponso nuper allato potissimum Casari di-  
 splicuerit consueta hæc formula: Decreta  
 nunc sancita, vel deinceps sancien-  
 da recipiantur, cunctaque peragan-  
 tur juxta normam ab Apostolorum ævo  
 observatam, si itaque Cæsar suam quoque  
 sollicitudinem Papæ curis supra alias Eccle-  
 sias debitis jungere velit, abs dubio tam il-  
 lustres utriusque labores Ecclesiæ erunt sum-  
 me proficui. Præterea cum per eam conte-  
 stationem multæ fuerint allatæ rationes, ir-  
 ritam, & iniquam translationem affirman-  
 tes, quæ certe expendendæ sunt, cumque  
 velit Pontifex omnem operam impendere ad  
 conservandam unitatem Ecclesiæ, & con-  
 nectenda ejusdem membra cum capite, quod

est *Iesus Christus*, *causam illam integram* Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.  
*ad se avocare statuit, ut eam plano modo,*  
 Et absque forensi strepitu recognoscat in Senatu, audiatque de illa referentes quatuor Cardinales, ex variis nationibus delectos, *Bellarium Episcopum Parisiensem, Burgensem, Crescentium, & Polum, inhibitis interea Legatis, aliisque primariis viris cujusvis conditionis, sub gravissimarum denuntiatione pœnarum, ne quid novi ea causæ cognitione pendente moverent, intentarentque, quod eidem cognitioni adversaretur: Iisdem etiam Legatis, & utrique Episcoporum Cœtui similium interminatione pœnarum præcipiet, ut ad se mittendos curarent aliquot ex ipsis Patribus, probitate, literisque præstantes, qui depositis animi offensionibus suas sententias exponerent: cunctos pariter, quorum ea res interest, admonebit, ut intra mensem ab hoc indicto Decreto, aut per se, aut per delegatos viros adsint coram Pontifice, & suas quisque rationes plene proferat, ne quid vero detrimenti Germania interim patiatur, offert Pontifex Nuntios, Legatosque, qui præsentem aliquam curationem eidem Provinciæ adhibeant, quamprimum intelliget, id conditioni temporum accommodatam, & Cæsari, Germanisque gratum futurum: absoluto autem iudicio, si translationem, vel irritam, vel injustam compererit, curam omnem, auctoritatemque impendet, ut Synodus Tridentum revocetur. Utcunque*

K k 3

autem

Sæcul. XVI. autem res accidet, nulli deerit officio, ut in-  
 A.C. 1548. clyta, sibi que dilectissima Germanicæ natione  
 ad Ecclesiæ unitatem reducatur, pristinum-  
 que dignitatis splendorem acquirat, quod  
 votis omnibus precatur a Deo.

## §. XI.

*Altera Mendozæ Legati con-  
 testatio.*

*Pall. l. 10.  
 c. 13. n. 11.*

Postquam Blosius hoc Pontificis respon-  
 sum perlegerat, pro tuendo in viola-  
 bili Cæsaris jure adversus omnia ibi-  
 dem contenta rursus Mendoza reclama-  
 vit. Ast eidem breviter ita responsum  
 est: *Tædio afficitur Pontifex, non quod  
 moleste habeat illæsum servari jus omne,  
 quod fortasse Cæsari convenit, cum ejus non  
 sit mentis, ut quidquam ipsius rationibus  
 detrahatur, sed æquum sit, ut Orator pa-  
 riter libenter ferat, Pontificis, Sedis Apo-  
 stolicæ, ac sacri Senatus jura inviolata per-  
 sistere ab ejus iteratis obtestationibus, quibus  
 satis erat, apte fuisse responsum coram eo,  
 iisdemque Scribis, ac testibus, qui priori i-  
 psius contestationi interfuerant, præcipue  
 cum ea, quæ a Blosio perlecta erant, talia  
 non sint, quæ Mendozæ comprobatione indi-  
 gerent, possentue ejusdem inficiatione labe-  
 factari.*

## §. XII.

## §. XII.

*Patres Bononienses quicquam innovare  
a Papa prohibiti.*

**A**bsoluto hoc Purpuratorum Senatu *Pall. c. 14. n. 2*  
 varia, quibus Orator reconciliaretur,  
 consilia per quindecim dies agitaban-  
 tur: Verum incassum ceciderunt omnia;  
 quapropter Mendoza prima sacrorum  
 Cinerum die, quæ illo anno in decimam  
 quintam Februarii inciderat, Roma dif-  
 cessit: Papa vero altera die ad Legatos  
 suos cuncta, quæ cum Oratore acta fue-  
 re, perscripsit hæc subjungens: *Quam-*  
*quam vehementer cuperem, ut quamprimum*  
*Synodus absolveretur, ne tamen justitiæ de-*  
*sim, opus mihi est eam causam cognoscere,*  
*quod ut celeriter perficiam, vobis demando,*  
*ut legitimas translationis tabulas ad me*  
*mittatis, simulque reliquos Patres hortor,*  
*ut ex ipsis tres ad minimum Episcopos ad*  
*me ablegent, qui communi nomine factæ trans-*  
*lationis rationes exponent.*

Cum ergo Pontifex quicquam inno-  
 vari prohiberet, hinc Bononiæ omnes  
 solemnes Patrum cœtus interrompe-  
 bantur: dum vero Pauli III. Pontificis  
 diploma die vigesima quinta Februarii  
 advenerat, Episcoporum nonnulli mo-  
 nebant, quod Pontifex in Synodicæ au-  
 ctoritatis præjudicium sibi potestatem

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

arrogaret, ipsamque Synodum sibi sub-  
jiceret (\*). Verum spreta hac opposi-  
tione decretum est, quod ad Papam  
non modo tres, quos petebat, sed omni-  
no sex Deputati nominarentur, Romam  
ablegandi.

## §. XIII.

*Diploma Pontificis ad Patres Tri-  
dentinos, istorumque responsum.*

*Pallav. c. 14.*  
*Et 15.*  
*Goldast to 2.*  
*Raynald. hoc*  
*ann n. 34.*  
*Et 39.*

Scriptit quoque Pontifex diplomata ad  
Patres Tridenti congregatos, eos  
hortatus, ut ex suis saltem tres Ro-  
mam mitterent, eo fine, ut hi demum  
exponerent, quæ Concilii translationi  
objicienda arbitrarentur. Tridentini  
itaque Præsules die vigesima tertia Mar-  
tii ad has Papæ literas hunc in mo-  
dum responderunt: *Tantum abest, ut in*  
*caussa*

(\*) Abs dubio mirabitur Lector, quod in  
Concilio Pontificia auctoritate coacto Episco-  
porum nonnulli hoc dubium movisse dica-  
tur, verum cessabit hæc admiratio, si animad-  
vertatur, quod Continuator hanc in rem solum  
allegarit Pallavicinum, hic autem hac de re  
ne unicum verbulum quidem afferat. Verum  
Continuator ejusmodi artibus jam assuevit, qui-  
bus sententiæ de potestate Concilii supra Pa-  
pam per fas, nefasque auctoritatem conciliare  
statuit.

caussa translationis de Sanctitate vestra of- Sæcul. XVI.  
 fendenda cogitaremus, sed vel maxime hinc A. C. 1548.  
 ansam dissentendi accepimus, quod videbamus  
 de re omnium gravissima inconsulta San-  
 ctitate vestra decerni, in quo etiam pientissi-  
 mum Imperatorem, optime de Republica  
 Christiana merentem, desiderabamus non fuisse  
 neglectum. Videbamus non desuturos,  
 qui rem incommode interpretaturi forent:  
 prospiciebamus, a Sanctitate vestra, ut est  
 consummati sensus, non probatum iri facili-  
 ter: quod autem tacentibus nobis, dum  
 Sanctitas vestra expectationem nostram desi-  
 derat, & expectat, Augustissimus Impera-  
 tor, qui nostri censebat esse muneris, antever-  
 tit, conquestus cum Sanctitate vestra de ille-  
 gitima translatione, non ita, quæsumus, in-  
 terpretetur, quasi nos, cum eramus delaturi  
 querelam Sanctitati vestræ, eam ad Cæsa-  
 ream Majestatem adduxerimus, sed proprio  
 ipsius Cæsaris motu factum est, qui prote-  
 ctionem Ecclesie ad suum pertinere munus  
 jam pridem intellexit, scilicet se ei Advoca-  
 tum præstare, zelatus unionem nobilissimæ  
 nationis ad Catholicam Ecclesiam, & unum  
 Caput Christum, ejusque Vicarium Sancti-  
 tatem vestram: sed neque unquam in men-  
 tem nostram venit, potuisse desiderari in hoc  
 officium nostrum, ut certiozem redderemus  
 Sanctitatem vestram, quam nunquam non fa-  
 ctam certissimam a legatis suis arbitrati  
 sumus; palam enim excipientibus Notariis

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1548.**

coram universa Ecclesia apertis verbis locuti sumus, & humanis omnibus sepositis affectibus contestati, imminere scandalum Reipublicæ christianæ ex recessu Patrum ab hoc Tridenti loco, atque afferri negotio incommodas moras, & videbatur nobis sufficere, quod indicassemus, quid de re sentiremus, deinde siluimus, quo etiam fit, ut cum denuo nihil aliud ad rem ipsam asserre possimus, præsentiam nostram in negotio desiderari minime credebamus: sed si quid interim cessatum videtur, satis res ipsa indicat candorem animi nostri. Quid enim erat operis, vel negotii, Patri satisfacisse, si desiderantem credidissemus, & ipsum molestia levare, si inde contristandum essemus opinati? majora ipsi nos debere fatemur, ut agnoscat universa Ecclesia filios seniores, qui semper cum Patre mansimus, & eo melius habentes, quo jam ita sumus de junioris filii, qui perierat, salute etiam solliciti, Germanici scilicet populi, ut non solum Patrem a molestia mitigandæ nostræ invidiæ liberemus, sed magis etiam ad congaudendum invitemus, & ut revertentibus occurrat filiis, rogemus alioquin desiderantem: nostras itaque partes tantum esse existimavimus, ut a translatione proposita pro conscientia dissentire deberemus: præ molestia vero, & humilitate non ausi sumus intempestive Sanctitatem vestram interpellare quasi officii admonentes, quam sperabamus

bamus nulli officiorum generi, quod ex re <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 Ecclesie judicasset, fuisse defuturam, volen- <sup>A. C. 1548.</sup>  
 tes, ut par est, suo iudicio tribuere: neque  
 videmus, quare nos comites proficiscentibus  
 Legatis, & Prælati ipsis dare debuerimus,  
 quorum nobis sententia non probabatur,  
 & iis quidem repetita oratione pollicenti-  
 bus tum in Generali Congregatione, tum  
 in publica Sessione in recessu ipso celebrata  
 sese, quamprimum illa asserti morbi opinio  
 refrixisset, esse redituros: præsertim si se  
 Germani Concilio submitterent: Nos vero  
 interea sedimus in Civitate manentes, quos  
 audieramus, & bona fide credebamus rever-  
 suros, & continuo de reversione cogitantes  
 audivimus, & agentes, quod factum pro-  
 pe credidimus tunc primum, cum illa vox  
 lætitiæ audita est, Dei scilicet gratia factum,  
 & Imperatoris virtute, ut, quod erat com-  
 mune Ecclesie desiderium, Germani se tan-  
 dem Concilio submississent. Tenes igitur  
 jam Pater sanctissime, quod tamdiu desidera-  
 sti. Ecce virtus Imperatoris tui, Josue  
 alterius, vincentis, dum tu oras velut Moy-  
 ses sanctus. Ecce Carolus reducit erran-  
 tes oves, & minat ad virgam Pastoris, re-  
 portat ad caulam Dominicam, & quos  
 nuper Deus ipsi subiecit, Deo ipse subji-  
 cit, redditque Vicario Filii sui, nempe qui  
 non alia ratione magis, non alio scilicet se-  
 cretiori consilio bellum suscepit, quam quia  
 prælium Domini erat: dirige igitur erran-  
 tem



Sæcul. XVI. A.C. 1548. *tem Gregem, Pastor optime, ad pascua Synodalia, cogeque virga; hæc enim directionis virga Regni tui est. Benedictus Deus in tanta materia benefaciendi, rebus præsertim desperatis, collapsisque. A Domino certe est, quod tantum accessionis factum sit Apostolicæ Vestræ Sedi, a qua jam pridem fuerat miseranda discessio. Intelleximus præterea a Sanctitate vestra scandalum aliquod accepisse eos, qui nos hoc in loco remansisse audierant. Satis nobis est, si non dederimus, nos enim qui sumus, ut prohibere possimus? commune hoc nobis cum reliquis Patribus est, quod & ipsorum plures etiam turbavit recessus: quod autem Sanctitas Vestra nobis tantum tribuit, est, quod magis adscribamus paternæ pietati, quæ ad meliora semper satagit provocare, quam ut agnoscamus merita nostra, præterquam illa, quæ nobis communia sunt cum Nationis nostræ laude, non sine Dei munere; semper enim Majores nostri, Filii Dei Vicarium coluerunt, & beati Petri Apostolorum Principis Successorem pie venerati sunt, quæ nostra omnium observantia jure exigit a Sanctitate Vestra, ut non sit passa prævaluisse in nos aliquam præsumptionem, qui in hujusmodi non solum a malo, sed ab omni specie mali fuimus abstinentes: non igitur videmus, unde in hanc invidiam trahimur. Habet ergo Sanctitas vestra actionis nostræ rationem: Tuæ erit Cle-*

Clementice boni consulendo præstare, ne no-  
 bis, vel immodica pietas fraudi sit, neque  
 contraiſſe videamur, dum bene mereri ſtu-  
 demus. Superest, ut cum Concilii finis ſit  
 pax, rogemus humiliter Sanctitatem Veſtram,  
 ne patiatur nos litibus exerceri: ſervos e-  
 nim Dei litigare non decet, aut enim, de qua  
 agitur cauſſa, noſtra eſt, aut Dei; ſi noſtra,  
 parati ſumus magis injuriam pati, quam in-  
 ferre: ſi Dei eſt, & Chriſti; ut vere eſt,  
 ad quem magis, quam ad ejus Vicarium per-  
 tinere poteſt ejus deſenſio? ſi tu juſtificas,  
 quis eſt, qui condemnet, ut nobis egeat de-  
 fenſoribus? obſecramus ſupplices Sanctita-  
 tem veſtram, ut indiſti jam Concilii inter-  
 miſſa redeat celebratio, & deſideratus pro-  
 greſſus. Redde, Domine, loco huic Apoſto-  
 licos tuos Legatos: redde Civitati præele-  
 ctæ Patres; compendio agetur, ſi de trans-  
 latione nullam malueris habere rationem,  
 & diſcuſſionem nullam, Si tu Sanctiſſime  
 Pater, quod omnes ſibi promittunt, reme-  
 dium non offers tantis malis (ad quæ tollen-  
 da conſilia tua omnia direxiſti, & con-  
 vertiſti) quæ poterit eſſe in poſterum ſpes?  
 quem optabimus Pontificem, ut feſſis, labe-  
 factatisque rebus occurrat? cum autem totus  
 tuus ſupra Pontificatus ſumma ſit Tibi  
 cum laude actus, & ad perſonam, quam ſu-  
 ſines, convenientiſſime, nunc ab hoc actu,  
 nulla adduci poſſumus ratione, ut credamus  
 Te poſſe deficere, cum plauſus excitandus  
 eſt.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1548.

Sæcul. XVI. A.C. 1548. *est, plausus inquam æternus. Patere igitur, Pater sancte, quæ tua est consuetudo, & sustine, quæ tui animi est placiditas, quod paucis his egerimus tecum, apud quem alii forsitan peritius, nullus profecto amantius, quam nos, & observantius, atque prudenter, aut commode ipse existimaris: licet nec ex humanitate tua, tantum nobis licentiæ arrogaverimus, ut differamus, quid tantum Pontificem deceat, cui fuerit satis, quid abs Te speremus, indicare.*

## §. XIV.

*Patrum Bononiensium Deputatorum  
responsio ad Tridentinorum  
Epistolam.*

*Pall.c.15. n. 5* *Sarpi p.268.* **H**æc Patrum Tridentinorum Responsio a Pontifice mittebatur ad Cardinales, quos Commissarios vocabant, isti que eandem Bononiensibus Deputatis tradiderunt, qui mox Tridentinis hanc in sententiam rescripserunt. *Gratum nobis fuit, quod Hispani & iudicium, & iudicem agnoscant, nolintque sibi litigantis partes imponi. Est tamen necessarium, quo veritas magis elucescat, quod nonnulla a respondentibus dicta refellamus, nam quod dicitur, priusquam translatio decreta esset, res ipsa Pontifici fuisset significanda; id videtur supervacuum, cum peculiaris extet*  
Bulla

*Bulla cum facultate Concilii transferendi, quæ etiam tum recitata fuit. Imperatorem autem fuisse neglectum dici non potest, cum idem honor Cæsareæ Majestati, atque ipsi Pontifici sit delatus, negotio moram, aut deliberationem non admittente, eo quod Concilium necessario aut dissolvendum, aut transferendum fuisset, tum propter morbum contagiosum, qui per civitatem, & loca circumjecta late serpebat, tum propter discessum multorum Patrum, qui vel abierant, vel abituri erant, item propter attestationes Medicorum juratorum, præsertim Fracastorii, cui stipendium de publico præbetur, ac denique propter metum, qui impendebat, ne vicinarum Civitatum commercium interdiceretur, quæ omnia habentur in actis publicis Pontificis mandato Romam perlatis. Equidem Legati statim post lectum translationis decretum Patres hortati sunt, ut Bononiam peterent: etiam posteaquam pervenissent Bononiam, sollicitaverunt eos per literas, ut eodem venire vellent, neque causa est, cur dicant, legatos sibi ideo non fuisse sequendos, quod longe diversa ab ipsis mente essent, Concilium videlicet non esse transferendum, nam quamdiu in Concilio erant omnium suffragia, potuissent magna animi libertate a se invicem dissentire: ubi vero in Decretum pars major consensit, tunc his, qui numero pauciores, in aliorum sententiam necessario concedendum fuisset; alioquin*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

Sæcul. XVI  
A.C. 1548

alioqui nihil unquam definitum iret. De  
reditu ad Tridentinam urbem facta promissio  
est, sed qualis ea sit, ex decreto satis constat:  
immo vero si illi Tridenti permansissent, bona spe freti, cæteri eo rediissent:  
quid impediēbat tamen, quo minus responderint literis Legatorum Bononiam versus  
illos sollicitantium? ubi autem suspicionem pestilentie obtendi asserunt, verisimile est,  
hanc iis vocem casu excidisse: alioqui cum neque causam ullam idoneam proferre possint  
contra translationem, neque juxta Sanctitatis suæ decretum Romam miserint, in  
censuras necessario incurrunt, neque respicienda illa distinctio, utrum causa Dei sit,  
an illorum? nam quantum ad illos attinet, nemo iis assert injuriam: quatenus autem  
Christum spectat, cum de facto instituat quæstio, est quidem necessarium elucidare prius  
illud, quod in facto non est perspicuum, sed controversum: idcirco cum Cæsari visum sit,  
quod ita de legatis loquantur, ac si id muneris prætendant, quod non habent,  
neque Patres, qui Bononiæ sunt, Concilii nomine dignentur, sed Conventum privatum  
vocent, aliaque multa opprobria contra translationem accumulent, consentaneum fuit  
rationi, ut ejus causæ cognitionem sibi sumeret Pontifex, non (prout objicitur) ad  
fomentandas lites, sed magis ad sopiendas: Utrum vero offensiones ex migratione Bononiam,  
an ex mansione Tridenti, exortæ sint;

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

sint, inde facile posset dijudicari, quod illo-  
rum Tridenti permansio in caussa sit, cur  
eo non redeatur. Ceterum ubi Pontificem  
rogant, ut Concilium interruptum velit re-  
stituere, id si accipiant de Congregationi-  
bus vulgo usitatis, hæc sene nunquam inter-  
missæ fuerunt: sin vero de publicatione de-  
cretorum intelligant, etiam hæc in eorum  
gratiam duntaxat dilata fuit, jamque tot fi-  
dei, & reformationis capita Bononiæ dis-  
cussa, & disceptata sunt, ut satis ampliæ  
Sessioni conficiendæ possint sufficere: quocir-  
ca rogamus Sanctitatem suam, ut ad sen-  
tentiam ferendam velit procedere, maxime  
quod constet, nullum omnino Concilium,  
extra Schismatis tempus, ita diu, ac præ-  
sens fuisse continuatum: Episcopi autem ab  
Ecclesiis passim desiderantur, quibus, ut resti-  
tuantur, æquissimum est.

§. XV.

*Ardinghellus Papæ Nuntius e Ger-  
mania Romam profectus.*

Hæc epistola exeunte Mense Aprili ad *Pallav. l. 10.*  
Tridentinos missa prius coram Pon-*c. 16. n. 1.*  
tifice in Patrum Senatu per Materanum  
Archiepiscopum fuit prælecta, interea  
vero Bononienses Deputati ulterius con-  
ferre jussi sunt cum Cardinalibus, qui-  
bus id negotii erat demandatum. Hi  
autem admodum lente hæc in caussa  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Ll Ro-*

Sæcul. XVI Romæ procedebant (\*). Porro sub i-  
A. C. 1548. dem tempus Julianus Ardinghellus Ro-  
 mam reversus est e Germania, quo eum  
 Paulus III. Legatum decreverat, ut si-  
 mul de Synodo transferenda, ac Placen-  
 tina urbe Sedi Apostolicæ reddenda  
 ageret. Hic Pontifici exposuit, „ quod  
 „ Cæsarem ad mitiora inclinandi spes  
 „ haud exigua affulgeret, necnon be-  
 „ nignis auribus excipere vellet Depu-  
 „ tatos, qui de hujus urbis restitutio-  
 „ ne acturi essent, ita tamen, ut vel  
 „ restitutioni quædam conditiones ap-  
 „ ponerentur, vel per aliam urbem com-  
 „ pensatio fieret. Quod vero Synodi  
 „ translationem spectaret, Cæsarem, ut  
 „ Patres Tridentum reverterentur, haud  
 „ ultra insistere ajebat, dummodo nec  
 „ vicissim Bononiæ Synodus continua-  
 „ retur, & Pontifex Romæ translatio-  
 „ nis

(\*) Qua ratione Continuator hanc cun-  
 ctationis notam inuere possit, haud videmus,  
 cum tamen Pallavicinus aliique Scriptores re-  
 ferant, Papæ Nuntium Ardinghellum *non mul-  
 to post* Romam adventasse, & diffidium com-  
 ponendi medium proposuisse, illudque a Pon-  
 tifice *quantocius*, ac sine dubio fuisse arre-  
 ptum, nisi a Galliæ Regis Ministris fuisset ab-  
 sterritus, vide §. seq. Si ergo in hoc negotio  
 lentius procedebatur, quis quæso hujus moræ  
 causa exstiterit?

„ nis iudicio superfederet, & in Ger- <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 „ maniam Legati mitterentur, cum <sup>A.C. 1548.</sup>  
 „ amplissima facultate, quam tredecim  
 „ capitibus Cæsar explicaverat, ut illi  
 „ hæreticos conciliarent, nationique fa-  
 „ tisfacerent, quod ubi conficeretur,  
 „ Concilio non amplius opus fore, a-  
 „ deoque omnem de hoc disputationem  
 „ desituram exponebat. „ Hac super  
 re Legati sententias suas edicere roga-  
 ti hæc in responsis dedere: Cæsari ne-  
 gari non potest id, quod Pontifex in re-  
 sponse Mendoxæ reddita solemniter pro-  
 miserat; tamen non nisi unicus mittendus  
 est Legatus unacum duobus aliis, qui dunta-  
 xat illius socii, vel ei a consiliis esse debent,  
 cum omnis æqualitas æmulationis, conten-  
 tionisque sit ferax: Sfondratus ipse potest  
 designari tanquam Legatus, utpote illarum  
 rerum, ingeniorumque peritus: Primus au-  
 tem socius proponendus videtur Hierony-  
 mus Verallus Archiepiscopus Rossanensis,  
 qui annos plurimos ibi Nuntium egerat:  
 Alter vero Pighinus Aliphanus Antistes, qui  
 in Concilio præclare se gesserat.

## §. XVI.

*Pontifex consilium de Legato una-  
 cum duobus Sociis in Germaniam  
 decernendo.*

Nil propius erat, nisi ut Papa promif- <sup>Pallav. cap.</sup>  
 sis <sup>15. n. 2.</sup>

L 1 2

lis



Sæcul XVI. fis stare, hosque tres Prælatos in  
A. C. 1548. Germaniam ablegaret: at Franciæ Ora-  
 tores, & Cardinalium nonnulli, quos  
 ipsi ad suas partes pertraxerunt, recla-  
 mantes Pontifici hæc significabant: *Cæ-  
 sar per hanc artem adspirat ad plenum Ger-  
 manicæ dominatum, ut postea ad opprimen-  
 dos Gallicæ Regem, ac Principes Italicos  
 vires converteret, cujus consilii manifestum  
 argumentum est Placentia ab eo recens oc-  
 cupata: si ergo in iis, quæ postulat, illi sa-  
 tisfieret, vinculum non concordiæ, sed servi-  
 tutis Christianæ Reipublicæ contexetur.*

Hicce rationibus expugnatus Ponti-  
 fex sententiam mutabat, cum tamen  
 per Gallicas ejusmodi Politicæ pruden-  
 tiæ artes sese a procuranda fidelium sa-  
 lute penitus absterrere minime patere-  
 tur, hinc ad Ferdinandum Romanorum  
 Regem mox novum Sedis Apostolicæ  
 Nuntium misit, isque fuit Prosper San-  
 ctacrucius Chysamensis Episcopus, Ro-  
 manæque Rotæ Auditor, cui Papæ se-  
 creto in mandatis dedit, ut ageret in  
 itinere cum Guilielmo Baviaræ Duce,  
 qui non minus, quam Paulus III. Pon-  
 tificex, quod Cæsar pro suppetiis sibi  
 subministratis non nisi vexationes re-  
 pendisset, vehementer querebatur, cu-  
 piebatque sibi socios adsciscere potentia,  
 ac dignitate valentes, ut horum ope  
 amplissimam Cæsareæ Majestatis suæ  
 digni-

dignitatem deprimeret. Verum hoc <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 consilium tam religioso celabatur silen- A.C. 1548.  
 tio, ut nunquam in lucem prodierit.

## §. XVII.

*Pontificis mandata Sanctacrucio in  
 Germaniam ablegato a Pontifice  
 data.*

**I**d unice de hac Sanctacrucii Legatio- <sup>Pallav. l. 63</sup>  
 ne constat, eidem in mandatis fuisse  
 datum, ut Bohemos hæreticos Ecclesiæ  
 reconciliare studeret, ageretque cum  
 Cæsare de responsis ab Ardinghello de-  
 latis, ac denique Bononiam pertran-  
 siens non modo mandata sibi data Le-  
 gatis aperiret, sed etiam eorum consilia  
 sequeretur, sique ipsis ita visum fuerit,  
 hæc ipsa mandata emendaret, quod i-  
 ta plane accidit; etenim Legati plures  
 immutarunt articulos, qui de Synodo  
 transferenda, eaque Bononiæ profe-  
 quenda, necnon de Legatione a Cæsa-  
 re petita, atque a Pontifice promissa  
 agebant. Cum vero Madruccius Car-  
 dinalis hanc legationem sibi deferri cu-  
 peret, eoquod, ut obtendebat ipse, Cæ-  
 sari, & Germanis magis acceptus, ac  
 potens Imperii, ejusdemque Nationis  
 Princeps esset, hinc Nuntio datum erat  
 negotium, ut Cardinalem hac spe lacta-  
 ret, eidem insinuando, eum a Papa in

**Sæcul. XVI.** Legatum nominari posse, quamprimum Germaniæ res prosperum exitum pollicerentur, in præsentî autem rerum vicissitudine Pontificem, quo minus ipsum ablegaret, absterreri, ac prohiberi ab increbescente fama, quod is a Cæsare Legatus in Hispaniam diceretur, ut Caroli V. filiam in Germaniam deduceret, unacum Archiduce Maximiliano Romanorum Regis Filio natu majori, cui illa desponsata erat. Hac igitur ratione Pontifex importunas hujus Cardinalis preces declinabat.

## §. XVIII.

*Cæsaris propositum de promulganda fidei norma usque ad Synodi definitionem servanda.*

**Pallav. l. 10.** Attamen Sanctacrucius in Germaniam delatus propositionibus Cæsari exponendis aditum jamjam occlusum senuferat, cum a Carolo libellum quemdam, quo præcipua fidei dogmata hucusque controversa explicabantur, promulgatum perciperet, postquam enim Imperator a Cardinale Tridentino intellexerat, quod Papa haud ultra Synodum extra suæ ditionis fines celebrari vellet, seque ad id proprii honoris ratione, ac Sedis Apostolicæ incremento

*c. 17. num. 1.  
Sleid. comm.  
l. 10. p. 715.  
Maimb. hist.  
du Luther.  
l. 5.*

to obstrictum diceret, pacem inire re-  
 nuit, cumque ex ipsius Pontificis respon-  
 so Mendozæ ad finem Decembris dato,  
 contra quod is reclamare jubebatur,  
 ejus animum prospiceret, simulque eun-  
 dem ideo Placentiæ restitutionem po-  
 stulasse arbitraretur, ut omnem de Con-  
 cilio mentionem interrumperet, hinc  
 Cæsar necessarium censuit, ut, ante-  
 quam arma deponeret, prius religionis  
 pacem in Germania constitueret, vel  
 fidei normam præscriberet, quam am-  
 bæ litigantium partes approbare, atque  
 interim amplecti possent, donec sole-  
 mnis Concilii definitio accederet. Ea  
 res in Comitibus Augustanis, quæ ad-  
 hucdum celebrabantur, fuit proposita,  
 ibidemque Sacri Imperii Ordines decer-  
 nebant, seligendos esse nonnullos, qui  
 pro huic operi incumberent: cum vero  
 illi, qui a Principibus nominati erant,  
 inter se convenire haud possent, hinc  
 Imperator ad Principum preces ipsemet  
 tres delegit, quorum primus erat Julius  
 Pflugius, qui non ita pridem Naum-  
 burgensem Episcopatum, a quo per Lu-  
 theri sectatores deturbatus fuerat, re-  
 recuperavit, doctisque suis elucubrati-  
 onibus præcipue autem libro de Institu-  
 tione hominis Christiani adversus Lu-  
 therum edito ingentem nominis sui  
 famam sibi conciliavit. Alter erat Mi-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

Michael Heldingus titularis Episcopus Sionienſis, atque Archiepiscopi Moguntini Suffraganeus, Vir Catholicæ religionis ſtudio, atque eruditionis laude longe celeberrimus, unde pauloſt meritorum ſuffragio Merſeburgenſem Episcopatum adeptus eſt. Tertius denique erat Joannes Agricola Iſlebienſis, qui tum Joachimi II. Brandeburgici Electoris Præco ſpurii Evangelii erat, ac paulo ante unacum Melanchtone, & Brentio octodecim omnino annos in conſarcinanda Confessione Auguſtana inſumpſerat, ac demum contra Lutherum Coriphæus exſtitit Antinomeniorum, ſeu illorum, qui ſe ad bona opera per fidem præſcripta haud obſtringi affirmabant.

§. XIX.

*Liber, cui nomen Interim, ab hiſce Theologis fabricatus, atque Pontificis juffu Romæ, & Bononiæ examini ſubjectus.*

Igitur hi tres Theologi quorundam adhuc aliorum Doctorum opera adjuți poſt diuturnas, crebrasque conſultationes tandem fidei normam conſue- runt, quæ ſæpius examinata, ac quibusdam nunc additis, nunc demptis immu-

immutata, atque sub incudem revoca-  
 ta fuit, donec tandem satis elimata cre-  
 deretur. Huic formulæ nomen *interim*  
 dabatur, eoquod quædam religionis  
 norma esset, quam *interim* omnes in Im-  
 perio tenerent, donec a Concilio Oecu-  
 menico aliud quid clarius decideretur.  
 Hæc itaque latina vox *Interim* idem si-  
 gnificabat, ac si diceretur, quod hujus  
 formulæ auctoritas duntaxat usque ad  
 Synodi definitionem circa eosdem ar-  
 ticulos tandem subsisteret.

Hujus libelli ita concinnati exem-  
 plum Nuntio Sfondrato tradebatur, eo  
 fine, ut Pontificis approbationem obti-  
 neret: hinc ablegabatur præfatus An-  
 tistes Romam, & Bononiam, ibidem-  
 que hæc formula, præcipue vero a  
 Bononiensibus Patribus, Pontificis jussu  
 rigido examini subjiciebatur, deman-  
 data hac provincia Catharino, ac Seri-  
 pando, qui censebant, quod in prima  
 hujus libelli parte, quæ articulos a Tri-  
 dentino Concilio jamjam definitos com-  
 plectebatur, easdem voces, quibus Con-  
 cilium utebatur, ibidem quoque adhi-  
 bere, non autem alias subrogare op-  
 portuisset: Alteram vero partem cir-  
 ca quæstiones nondum decisas ambi-  
 guis loquendi modis repletam puta-  
 bant, ac propterea diversas edidere an-  
 notationes, quibus libelli tenor corri-

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

geretur. Percepto horum iudicio Pa-  
pa per Sfondratum significari iussit, quod  
Religionis negotium decidere, Cæsaris  
potestatem excederet, ac præterea in hoc  
libello duo continerentur articuli mi-  
nime tolerandi, eoquod ex his prior  
traditioni Apostolicæ adversus, alter ve-  
ro longævo usu in Ecclesia stabilitus  
esset, erantque illi sequentes, quorum  
I. Matrimonia Clericorum concernebat  
II. vero spectabat Laicorum commu-  
nionem sub utraque specie in illis locis,  
ubi permessa fuit usque ad Synodi de-  
finitionem.

§. XX.

*Formula Interim urgente Cæsare in  
comitiis Augustanis recepta.*

**I**nsuperhabita hac Pontificis responsio-  
ne Cæsar divisam Germaniam ad  
pacem, & concordiam revocandi stu-  
dio accensus suum *Interim* die decima  
quinta Maji in Comitiis Augustanis  
recipi voluit. Consensere omnes Im-  
perii Electores, atque Moguntinus tan-  
quam ceterorum Caput, ac Præses no-  
mine omnium Cæsari grates rependit:  
Sanctacrucius vero Papæ Nuntius non-  
nisi evoluta hora post hujus formulæ  
promulgationem a Cæsare admissus  
fuit, atque idcirco sat remisse ea, quæ  
in

in mandatis habebat, exposuit, subjungens, quod in caussa hujus libelli a Papa missus huc advenisset, eo autem jamjam promulgato superfluum esset, hac de re sermonem habere. Cæsar factum excusat, causatus, quod comitia jam satis protracta tandem absolvere, impense rogatus fuisset: cum autem Nuntius sermonem ad Placentinum negotium defleceret, mox Carolus loquentem interpellavit affirmans, prius res publicas esse componendas, quam privatas Farnesianam familiam spectantes, de cetero se hac in re acturum, quod probum, ac Catholicum Principem deceret. Porro interea temporis Cæsar cum Placentinis foedus non ita pridem inierat, quod recta Pontificis, ac Farnesianorum juribus adversabatur: cum ergo Sfondratus hac de re apud Granvellanum quereretur, hic respondit, ad id Dominum suum necessitate fuisse compulsus, quibus verbis indicabat, quod Galliarum Rex Mediolanensem Ducatum infestis armis invadere crederetur: cum igitur Nuntius haud aliud Cæsar's responsum impetrare possit, mox inde recessit.

§. XXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.



Sæcul. XIV.

A.C. 1548.

§. XXI.

*Promulgatio formulæ Interim, ejusque articuli.*

*Sleid. comm. lib. 20. p. 721. & seq. Carol. V. Imp. Interim tum. 1. Const. Imp. Gold. p. 518. Raynald. hoc ann. n. 59.*

Postquam hæc formula *Interim* in comitiis fuit recepta, mox typis vulgabatur unacum quadam declaratione, quæ libello præfixa tam latino, quam Germanico fermone publici juris facta fuit, cujus summa hæc erat: *Sua Majestas jam dudum satis perspicuis indicis experta est, absque christiana compositione, vel legitima determinatione hujus exorti perniciosissimi controversæ Religionis dissidii, ex quo hæctenus omnes discordiæ, rancores, bella, angustice, & gravamina statuum processerunt, ullam hujusmodi firmæ pacis, justitiæ, & publicæ tranquillitatis spem non superesse: ideo sua Majestas antea variis super ea re institutis colloquiis, & tractationibus nullum non movit lapidem, quo exitiale hoc dissidium ad Christianam concordiam, vel saniozem intellectum promoveretur. Verum, cum in prosecutione illius operis res ipsa declaret, istud dissidium a- ideo altas egisse radices, ut non solum Germanicam, verum etiam multas alias nationes attingeret, omnibusque eis commune esse cæperit, ita ut visum sit, huic tam gravi morbo ullo alio convenientiori remedio, quam per viam Universalis Catholici Concilii,*

cilii, subueniri non posse: impetravit tan-  
dem ad preces Statuum sua Majestas post  
multas in ea re habitas tractationes, quod  
generale Concilium in Germanica natione  
Tridenti convocatum, & celebrari ceptum  
sit, quapropter & horum Comitiorum in-  
nitio cum Statibus ita egit, eosque permo-  
vit, ut insequentes Sanctorum Patrum, ma-  
jorumque nostrorum vestigia, qui in nego-  
tiis fidei semper ad sacra Concilia recur-  
rere, eisdemque obtemperare soliti fuere,  
in adhesionem, & submissionem hujus Con-  
cilii communiter consenserint, ac ulterius suae  
Majestati liberum permiserint, de Christianis,  
ac convenientibus mediis cogitare, quibus  
medio tempore usque ad finem, ac de-  
terminationem Concilii omnes Status pie,  
& pacifice simul vivere, & habitare queant,  
ita ut nemo contra jus, ac aequitatem gra-  
vetur. Et sicut sua Majestas tunc tem-  
poris hujusmodi Statuum consensum, ac  
remissionem clementissimo animo suscepit, ita  
& nunc non minus suscipit: De negotio ve-  
ro ipso remissionis tanquam per se gravissi-  
mo, sua Majestas haecenus paterno affectu  
fideliter, & cum summa diligentia delibe-  
ravit, statuumque sententias (sicut ipsimet  
sciunt) exquisivit, reque perpensa, non sine  
dolore animi percepit, quam immensa incom-  
moda huic inclytæ nationi haecenus ex  
praedicto dissidio fuerint illata: quæ cala-  
mitas, & pernicies ex eodem impendent, ita  
ut

Sæcul. XIV.  
A.C. 1548.

ut

Sæcul. XVI. ut inevitabilis necessitas expostulet pro con-  
 A. C. 1548. stitutione, ac conservatione firmæ pacis,  
 justitiæ, unitatis, ac pro tollendis discordia-  
 rum seminibus, hanc rem usque ad pro-  
 gressum, & determinationem Generalis  
 Concilii, non in præsentî statu, & confu-  
 sione, quasi suspensam relinquere, sed potius  
 ad majorem christianam Concordiam, mo-  
 derationem, ac sanio rem, & propiorem  
 intellectum reducere, variisque ingruentibus  
 contrariis opinionibus amplius non conmi-  
 vere, vel committere, ut per eas publica pax  
 amplius turbetur, & impediatur: dum igitur  
 Majestas sua in hoc tota est occupata,  
 peropportune contigit, quod quidam viri  
 magni status, & nominis, procul dubio  
 bono quodam zelo erga Christianam concor-  
 diam, pacem, & tranquillitatem, & ex  
 vero erga patriam amore, adjunctum hoc  
 consilium, & sententiam ipsorum suæ Ma-  
 jestati proposuerint, exactius discutiendam  
 tradiderint, seque diligenter eam observatur-  
 ros polliciti sint. Id consilium sua Ma-  
 jestas nonnullis egregiis sacræ Scripturæ pe-  
 ritis doctoribus, videndum commisit: ex  
 quorum relatione animadversum est, id si  
 in recto Christiano sensu intelligatur, a no-  
 stra vera Catholica Religione & Ecclesia-  
 sticis doctrinis, statutis, & ordinationibus,  
 exceptis duobus articulis, Communionem  
 sub utraque specie, & matrimonium Sa-  
 cerdotum concernentibus, non abhorrere, sed  
 ad

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.

ad promovendam, ac impetrandam plenior-  
 rem controversæ Religionis Christianæ con-  
 cordiam, conservandamque in sacro Impe-  
 rio publicam pacem, & tranquillitatem con-  
 ducere, quemadmodum & adhuc Majestati  
 suæ, attenta qualitate horum temporum,  
 ita videtur, nihilque magis in votis est, quam  
 ut omnes Ordines sub ipsius Cæsareo re-  
 gimine, sicut ex officio suæ Majestati incum-  
 bit, in religione concorditer, & pacifice  
 simul vivant & convenient. Itaque Maje-  
 stas sua communes status, qui hactenus or-  
 dinationes, & Statuta universalis Eccle-  
 siæ observarunt, requirit, clementer petens,  
 ut & in posterum ea observent, constanter  
 in iis permaneant, perseverent, nec decif-  
 sant, vel quicquam immutent, quod se fa-  
 cturos esse constanter asseruerunt: Reliquos  
 vero Status, qui innovationem instituerunt,  
 pari modo Majestas sua clementer, & serio  
 requirit, ut vel communibus statibus sese  
 rursus jungant, & cum illis in observa-  
 tione statutorum, ac ceremoniarum univer-  
 salis Ecclesiæ Catholicæ consentiunt, vel sal-  
 tem, in doctrina sua, & ecclesiasticis ordi-  
 nationibus cum prædicto consilio se se om-  
 nino conforment, nec ultra illud quicquam  
 instituant, vel attentent: Et casu quo ul-  
 terius se intromississent, per omnia sese pri-  
 vato consilio & confessioni conforment, fir-  
 miterque in eo permaneant. Et ut omnes  
 Status, ad promotionem publicæ pacis,  
 quietis,

Sæcul. XVI. A. C. 1548. *quietis, & unionis, prædictum scriptum pro nunc tolerant, neque illud impugnent, aut contra illud doceant, scribant, aut concionentur: sed omnes Status universalis Concilii declarationem, atque determinationem patienter, & obedienter expectent. Nihilominus Majestas sua omnem diligentiam adhibebit, nihilque intentatum relinquet, quo Concilium Universale juxta Statutum requisitionem quam primum celebretur, & Germanica Natio a præsentis Schismate, quo tanto jam tempore discissa luet, penitus liberetur.*

## §. XXII.

*Viginti sex articuli hujus Interim.*

*Dupin. Bibl. tom 12 p. 79. Sleid. l. c. p. 722.* **H**æc formula, seu fidei norma viginti sex complectebatur articulos, quorum primus agebat de conditione hominis ante lapsum, in quo hæc proponuntur.

*Deus creavit hominem ad imaginem, & similitudinem suam, eumque gratia ornavit, & fecit per originalem justitiam, ut esset omnibus cum corporis, tum animi viribus rectus, nec ageretur ullis turpibus, & pravis motibus, sed in eo caro spiritui, atque inferiores animi vires superioribus, quæ tantum ad bonum hortabantur, parerent: cum igitur animus hominis tam bene constitutus esset, reliquit eum Deus in manu consilii sui, usque eo, ut non minorem haberet vim ad*

ad eligendum bonum, quam malum. Quod si hac libertate sua usus fuisset recte, & mandatis, quæ ipsi Deus dederat, obedisset, bona, quæ acceperat homo, atque iustitiam sibi, & omni posteritati suæ conservasset, nihilque ei, ac posteritati ipsius defuisset ad bene, beateque vivendum: non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non dolor, non morbus, non mors eum afflixisset: omne denique peccatum, ac vitium vitasset, nec ab illis tanquam peccatorum stipendiis, periculum ei ullum, posterisque illius allatum fuisset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

## CAPUT II.

*De conditione hominis lapsi.*

Verum postquam primus parens noster, contra quam mandaverat Deus, fecit: incidit in pœnam a Deo propositam, & iustitiæ Originalis donum pulcherrimum amisit: hinc carentia iustitiæ hujus, una cum vitioso concupiscentiæ habitu, quæ spiritui, & superioribus animi viribus perpetuo repugnat. Quod peccatum (hoc est, privationem illius iustitiæ, qua parte rationem subditam reddebat Deo) una cum concupiscentia in omnem posteritatem suam propagavit, ut cum eo omnes, quotquot in hanc lucem eduntur, homines nascantur, nec eo vacuus sit ullus, nec unius quidem diei infans, secundum Scripturas. Et quamquam

*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Mm reti-*

**Sæc. XVI.** *retinet homo talis libertatem arbitrii, licet*  
**A C. 1548.** *infirmam, & læsam, ex qua tanquam fonte profluunt, & virtutes morales ethnicorum, & harum actiones: tamen ante Gratiam Dei, & reparationem, ad justitiam, quæ coram Deo valeat, aspirare haud potest: sed est potius servus peccati, satanæ mancipium, inimicus Dei, & malis hujus mundi obnoxius; premitur enim fame, siti, frigore, æstu, dolore, morbo, & ad extremum morte ipsa evertitur. Per unum enim hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors. Hæ autem istius primæ prævaricationis pænæ renatis cum peccatoribus communes sunt: illis tamen a Deo etiam ad exercitium adhibentur: Injustis vero, & impiis insi-guntur ad pœnam.*

**Rom. 5.**

### CAPUT III.

#### *De Redemptione per Christum Dominum nostrum.*

**Deus** igitur, qui dives est in misericordia, nolens perire, quos condiderat, Filium suum misit in mundum, ut, cum impossibile esset homini, seipsum liberare, in Domino hoc nostro, atque Salvatore haberet redemptionem per sanguinem ejus.

**Joan. 3.**

CAPUT

## CAPUT IV.

*De Justificatione.*

*Jam qui pretioso sanguine Christi redimitur, & cui meritum passionis Christi applicatur, continuo is justificatur, hoc est, invenit remissionem peccatorum suorum, a reatu æternæ damnationis absolvitur, & relevatur per Spiritum Sanctum, atque ita ex injusto fit justus; nam Deus, quando justificat, non humano tantum more agit cum homine; ut ei ignoscat duntaxat, peccatum donet, & reum absolvat, sed facit etiam eum meliorem: id quod homines attribuere nec solent, neque possunt: communicat namque cum illo de Spiritu suo sancto, qui purificat cor ejus, & per charitatem in eodem corde diffusam incitat, ut, quod bonum, ac justum est, expetat, & expetitur opere ipso prosequatur. Concurrunt quidem Christi meritum, & justitia inhærens, ad quam renovamur per donum charitatis inhærens, ut ex ea pie, ac sobrie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri. Sed meritum Christi, ut sit justitiæ nostræ inhærentis causa, & cum in multis labamur omnes, ac propter infirmitatem, imperfectioremque nostram multa occurrant, quæ animos nostros turbare, & ad desperationem sollicitare possint: in eodem merito, & pre-*

M m 2                      tioso



Sæcul. XVI. *tioso Christi sanguine respiremus, ac inven-*  
 A.C. 1548. *niamus, quo ad spem salutis firmissime niti*  
*valeamus.*

## CAPUT V.

*De utilitate, & fructibus justifi-*  
*cationis.*

**H**abent quidem justificati pacem ad De-  
 um per Dominum nostrum Jesum Chri-  
 stum; eis namque Deus est placatus, mis-  
 ricors, & propitius, ut sperare possint, si  
 cum inimici essent, Deus reconciliave-  
 rit sibi ipsos per mortem Filii, multo  
 magis futurum esse, ut reconciliati sal-  
 ventur, ut verbis Apostoli, quæ consola-  
 tionis plenissima sunt, utamur. Item, qui  
 justificantur, iidem etiam adoptantur a Deo  
 filii, ut hæredes sint Patris æterni in cælis,  
 cohæredes autem Christi, auctore Paulo,  
 & jam habeant jus adeundæ hæreditatis il-  
 lius, quæ est vita æterna.

## CAPUT VI.

*De modo, per quem homo justificatio-*  
*nem accipit.*

**E**t si Deus non ex operibus justitiæ, quæ  
 fecit homo, sed secundum suam miseri-  
 cordiam justificet eum, idque gratis, hoc est,  
 sine merito ejus, ut, si gloriari velit, in  
 Christo tantum gloriatur, cuius solius  
 merito

merito redimitur a crimine, & justificatur: *Sæcul. XVI.*  
 tamen Deus misericors non agit hic cum ho- *A. C. 1548.*  
 mine, ut cum trunco, sed trahit eum volen-  
 tem, si adultus sit: talis enim non accipit  
 beneficia illa Christi, nisi præveniente gratia  
 Dei mens ejus, atque voluntas moveatur  
 ad detestationem peccati; nam cum pecca-  
 tum separet inter Deum, & nos, ut  
 Esaias inquit: nemo ad Thronum gratiæ,  
 & misericordiæ accedere potest, nisi prius  
 per pœnitentiam ab eodem peccato fuerit a-  
 versus: itaque Joannes, cum præpararet  
 viam Domino, dixit: Agite pœnitentiam;  
 appropinquat enim Regnum Cœlorum.  
 Mox eadem gratia divina movet mentem in  
 Deum per Christum, & hic modus est fidei,  
 per quam homo sine hæsitatione credens,  
 scripturis sanctis, & promissionibus, quas  
 eadem afferunt, assentitur: Christus enim  
 ipse, cum primo exegisset pœnitentiam, mox  
 fidem talem requirit, inquiens: Quoniam  
 impletum est tempus, & appropinquat  
 Regnum Dei, agite pœnitentiam, &  
 credite Evangelio. Qui ita credit, &  
 divinæ justitiæ timore, quo utiliter concu-  
 titur ad considerandam misericordiam Dei,  
 & redemptionem per sanguinem Christi, est  
 conversus: hic erigitur, & movente gratia  
 Dei, concipit fiduciam, atque spem, ut cre-  
 dat præter spem meriti sui in spe misericor-  
 diæ promissæ, tribuens Gloriam Deo, at-  
 que ita perducitur ad charitatem. Tali in

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548

*Deum fide, quicumque misericordiæ divinæ, ac Christi merito nititur, seque eisdem committit, accipit promissionem Spiritus, & sic justificatur per fidem in Deum, secundum Scripturam, ut ei non solum remittatur peccatum, sed idem etiam sanctificetur, & renovetur per Spiritum sanctum: ea namque fides impetrat donum Spiritus sancti, quo diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ quatenus ad fidem, & spem accedit, eatenus per justitiam inhærentem vere justificamur: hæc enim justitia, fide, spe, ac charitate ita constat, ut si aliquam harum justitiæ huic subtraxeris, eandem ipsam maneam plane reliqueris.*

## CAPUT VII.

*De charitate, & bonis operibus.*

*Charitas autem, quæ est finis præcepti, & plenitudo legis simul, ac justificationem ingreditur, sæcunda est, jamque omnium bonorum operum semina intra seipsam includit: quæ ut parata est ferre bonos justitiæ fructus, ita fert eos in justificados quamprimum, & quoties debet, eique operandi facultas impedimento aliquo non adimitur. Itaque fides, quæ per dilectionem non operatur, non videtur viva, sed sterilis potius, ac mortua. Ex hoc maximo Dei dono, quod quanto magis in nobis augetur, tanto magis vetustas carnis nostræ imminuitur,*

tur, quæ manant tanquam e fonte bona opera, & ad salutem cujusque justificati tam necessaria sunt, ut qui ea non fecerit continuo, gratiam Dei amittat, & tanquam palmes inutilis excindatur a Christo, & in ignem projiciatur, ut Christus ipse in Evangelio suo docet. Et quamquam opera hæc talia sunt, ut Deus jure quodam suo ea a nobis exigere possit, & sancti, etiamsi omnia, quæ ex eis præcepta sunt, fecerint, & agnoscere, & dicere debeant, se esse inutiles servos: tamen cum ex charitate Dei profluant, & gratiæ Dei effectus sint, ac quia Deus secundum suam voluntatem operantibus mercedem liberalissime promisit, eadem & temporalium honorum, & æternæ vitæ remuneratione dignatur. Quod reliquum est, etsi opera a Deo mandata, ut necessaria ad salutem, sunt præcipue urgenda, juxta illud Christi: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: Quæ tamen præceptis superaddita, aut pie, aut honeste suscipiuntur, ipsa etiam commendanda sunt, ne a Spiritu sancto multa horum in Scripturis sanctis commendante, discrepemus: alias relinquere, aut vendere omnia, & sequi Dominum, item servare virginitatem, aut continentiam bonum & utile non esset. Quinimo David, cum saltaret ante arcam, jure fuisset irrisus a Michol: item Paulus frustra remisisset salarium iis, quibus verbum Dei prædicaverat. Breviter, discernenda sunt opera su-

Sæcul. XVI.  
A.C 1548

M m 4

perero-

Sæcul. XVI. A.C. 1548. *pererogationis, quæ supra præceptum, ( ut verbo Chrysofomi utamur ) fiunt, ab iis, quæ contra fiunt: Hac enim Christus ipse damnat, ut fermentum Phariseorum: at illa Spiritus sanctus, in Scripturis loquens, commendat inquit: Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.*

## CAPUT VIII.

*De fiducia remissionis peccatorum.*

**H**ic cavendum est, ne aut homines faciamus securos nimis, sibi que fidentes, aut anxia dubitatione in desperationem impellamus: itaque cum Paulus dicat, se quidem nullius peccati conscium, sed in hoc tamen non justificatum esse: homo non potest sine dubitatione propria infirmitatis, aut indispositionis credere, sibi peccata remissa esse, sed tamen non debeat se in seipso jactare, non ita tamen terrendus est, ut de promissis Dei, deque mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitet, & desperet se remissionem peccatorum, & salutem consequi posse, proin ei omnis spes, & totius fiducia certitudo esse debet in pretioso Sanguine Christi, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem: in quo ipso respirare nos, atque confidere, & possumus certo, & debemus, confirmante nos Spiritu

*Spiritu sancto, qui dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei.*

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

## CAPUT IX.

*De Ecclesia.*

*Credendum est, neminem extra Ecclesiam Christianam, & Communionem ejus spirituales, vitam æternam consequi posse; Communionis autem bujus eam esse rationem, ut cum Spiritus Christi ab eo ut capite delabatur in corpus suum, hoc est; Ecclesiam, & omnia membra ejus permeet, singula membra percipiant ex eo, quantum sibi satis sit ad salutem, & quamquam Ecclesia, quatenus constat membris talibus, quæ secundum charitatem vivunt; Sanctorum est tantum, & eatenus spiritualis, & invisibilis: eadem tamen etiam sensibilis est, qualem Christus ipse monstrat, inquit: Dic Ecclesiæ. Ad hanc eandem pertinent Episcopi, qui regunt populum, quem Christus Sanguine suo acquisivit: pertinent alii item ministri; dedit namque Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios Pastores, & Doctores; ad hanc eandem Ecclesiam pertinet verbum Dei, quod in aures influit: pertinent Sacramenta, pertinent claves ligandi, atque solvendi, pertinet potestas co-*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548  
*ercendi per excommunicationem, pertinet jus ordinandi ministros Ecclesie, pertinent vocationes ad munera Ecclesiastica, pertinet denique jus sancienti Canonis: debent autem, quæ ad sensibilem, & externam Ecclesie partem pertinent, servire ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, jam in Ecclesia non solum sancti, sed etiam mali, ut ejus membra, licet arida versantur: Verum Schismatici, Hæretici, & a fide Christiana desciscentes, quia non solum a spirituali, sed etiam externa Ecclesie societate sejuncti sunt, quamdiu in hoc calamitoso sunt statu, non habent, quo possint juvari, ac recreari, imo tanquam membra a toto Ecclesie corpore abscissa, in suam ipsorum perniciem putrescunt.*

## CAPUT X.

*De notis, & signis veræ Ecclesie.*

*Sunt autem signa veræ Ecclesie doctrina sana, & rectus Sacramentorum usus, quibus ab Ethnicorum, & Judæorum cætibus Ecclesia disjungitur, quarum utrique, & sana doctrina, & Sacramentis novi Testamenti carent. Tertium signum est unitas, quæ vinculo charitatis, & pacis continetur, ac membra Ecclesie ita conglutinat, ut non solum*

lum, quod perpetuus Sanctorum consensus <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 ab Apostolis usque ad nos recepit, & <sup>A.C. 1548.</sup>  
 approbavit, idem sentiant, sed etiam  
 idem loquantur. Quartum signum Ec-  
 clesia vera est, quod sit Catholica, &  
 universalis, hoc est, per omnia loca,  
 & tempora diffusa, & per Apostolos,  
 eorumque Successores continuata usque  
 ad nos successione propagata usque ad fi-  
 nes terræ juxta promissiones Dei: Po-  
 stula a me, & dabo tibi gentes hære-  
 ditatem tuam, & possessionem tuam  
 terminos terræ. *Item*: Multi venient  
 ab occidente, & oriente, & recumbent  
 cum Abraham, Isaac, & Jacob in reg-  
 no cœlorum. *Item*, & eritis mihi te-  
 stes in Jerosolyma, & in omni Judæa,  
 & Samaria, & usque ad ultimum ter-  
 ræ. *Item*: Et ego rogabo Patrem,  
 & alium Paracletum dabit vobis, ut  
 maneat vobiscum in æternum, Spiri-  
 ritum veritatis, quem mundus non po-  
 test accipere. *Hæc duo signa distinguunt*  
*Ecclesiam Christianam a Schismaticorum,*  
*atque Hæreticorum gregibus, qui vin-*  
*culum charitatis rumpunt, & a Catho-*  
*lica unione seipsos in suam ipsorum per-*  
*niciem divellunt, dum partem suam toti,*  
*atque universæ Ecclesiæ anteferunt.*

CA.



Sæcul. XVI.  
A. C 1548.

## CAPUT. XI.

*De auctoritate, & potestate  
Ecclesie.*

*Penes Ecclesiam est auctoritas discernendi Scripturas veras ab adulterinis: hinc est ille Canon Scripturarum, qui Germanas a falsis, quæ sub nomine Apostolorum, atque discipulorum Domini obtrudebantur, discrevit. Et ut Ecclesia hujus rei auctoritatem, potestatemque habuit semper, sic etiam interpretandi, atque adeo ex eisdem Scripturis eliciendi, & explorandi dogmata. Habet præterea Ecclesia traditiones, a Christo & Apostolis per manus Episcoporum ad hæc usque tempora delatas: quas qui convellit, is negat eandem columnam esse, & firmamentum veritatis, hujus generis sunt Baptismus parvulorum, & alia: constat item, potestatem coercendi, atque excommunicandi esse penes Ecclesiam, idque ex instituto Christi de potestate ligandi, huic consentaneum est illud Apostoli: Tollite malum ex vobis. Habet item potestatem Jurisdicendi. Nam cui competit jus coercendi, & potestas jurisdicendi deesse non potest. Ac si quæstiones dubiæ oriantur in Ecclesia, habet quidem hæc potestatem judicandi de eisdem, atque decernendi, idque per Synodum,*

nodum, & quod hæc in Spiritu sancto legitime congregata, decernit, Spiritus ipse sanctus decernere videtur, juxta illud Concilii Hierosolymitani: Visum est Spiritui sancto, & nobis. Itaque saluberrimam esse Conciliorum auctoritatem dubitare debet nemo, & quod ex eodem Concilio Hierosolymitano intelligitur, est etiam penes Ecclesiam potestas constituendi Canones.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.

CAPUT XII.

De Ministris Ecclesie.

Ecclesia habet sacra, & externa, quæ pie, & salubriter ad utilitatem Christianorum tractanda sunt, atque explicanda, quo minus ministri, qui muneribus ad has res necessariis funguntur, eidem Ecclesie deesse vel possunt, vel debent, ac munera quidem hæc omnibus Christianis communia non sunt: verum Deus ipse initio dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: itaque tempore Apostolorum non omnibus data fuit potestas ad functionem munerum Ecclesie, sed certis tantum, iisque ad eadem ipsa segregatis: cavendum est igitur nobis,

ne

ate  
ernnen-  
vinis:  
, qui  
e Apo-  
Domini  
Ecclie-  
patem-  
expre-  
pturis  
Ha-  
Cbrri-  
borum  
is qui  
am ef-  
bujus  
, &  
cendi,  
Ecclie-  
pote-  
illud  
Ha-  
Nam  
testas  
quæ-  
ba-  
di de  
r Sy-  
dum,

Sæcul. XVI  
A.C. 1548

*ne spirituale Sacerdotium, quod omnibus Christianis, quos Spiritus sanctus unxit, commune est, cum hoc externo, atque ministeriali, quod non omnium est, sed eorum tantum, qui ad hoc vocati, atque rite ordinati sunt, confundamus: quod sine gravi, ac pernicioſa Ecclesiarum perturbatione, atque calamitate accidere non potest.*

## CAPUT XIII.

*De summo Pontifice, & Episcopis.*

*Ecclesia etsi multos habet Episcopos, qui populum ejus, quem Christus pretioso sanguine suo acquisivit, regunt, idque jure divino, unum tamen in remedium Schismatis, qui ceteris omnibus præsit cum plenitudine potestatis, summum Pontificem habet, idque pro prerogativa Petro concessa: quod ipsum quam utile sit ad avertenda ab Ecclesia schismata, satis constat iis, qui non ignorant, a contemptu bujus summi Sacerdotis plerumque schismata orta esse, ut Cyprianus scribit, & res ipsa testatur: qui igitur Cathedram Petri tenet summus Pontifex, eo jure, quo Petrus accepit a Christo, dicente: Pafce oves meas, universam Ecclesiam & gubernat, & gubernare debet, qua tamen potestate sua uti debet non ad destructionem, sed ad ædifi-*

adificationem : hanc autem plenitudinem Sæcul. XVI. A C. 1548.  
 potestatis sic videtur Christus Petro, ejusque successoribus dedisse, ut reliquis  
 Episcopis partem sollicitudinis ejus com-  
 missæ non abstulerit, sed suarum Ecclesia-  
 rum, & Diæcesium veros jure divino  
 Episcopos esse voluerit : debent autem  
 Christiani homines, & Pontifici summo,  
 & singulis suis etiam Episcopis parere,  
 juxta illud Apostoli : Obedite præposi-  
 tis vestris, qui vigilant pro animabus  
 vestris.

CAPUT XIV.

De Sacramentis in genere.

Sacramenta duabus potissimum de causis  
 divina auctoritate instituta sunt. Al-  
 tera, ut sint signa, & notæ quadam ma-  
 gnæ illius Congregationis, quæ est Eccle-  
 sia, in nullum enim nomen coagulari ho-  
 mines possunt, nisi aliquo signaculorum,  
 vel Sacramentorum visibilium consortio  
 colligantur, quam ob rem Dominus no-  
 ster Jesus Christus societatem novi po-  
 puli, Sacramentis numero paucissimis,  
 observatione facillimis, significatione  
 præstantissimis, colligavit : Baptismo  
 videlicet, Confirmatione, Eucharistia,  
 Penitentia, extrema Unctione, Ordine,  
 & Matrimonio. Altera vero est, ut  
 non solum significant, sed etiam sanctifi-  
 cent,

Sæcul. XVI. cent, & conferant invisibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum virtute, aut merito ministri, sed Domini instituentis, ac secretius operantis, itaque etsi decet bonum esse Sacramentorum ministrum, tamen malus etiam potest ea utiliter dispensare.

## CAPUT XV.

## De Baptismo.

Joan. 3.

Gal. 3.

Hoc Sacramentum homini non minus est necessarium ad vitam novam, atque spiritualem, quam natiuitas carnalis ad vitam naturalem. Nec salutem quisquam consequi potest, nisi aqua, & spiritu sit renatus, ut Christus ipse testatur. Hoc igitur Sacramentum abluit nos, sanctificat, justificat: hoc Sacramentum facit, ut consequamur remissionem peccatorum nostrorum originalium, atque actualium. Hoc denique Sacramentum tale est omnino, tamque salutare, ut qui eo initiat, induat Christum, ut Paulus scribit. Constat autem Sacramentum hoc verbo Dei, & aqua; nam simul, ac verbum ad elementum accedit, fit Sacramentum, cuius lavacro regeneramur, & mundamur ab omni peccato; itaque quoties aquam corpus abluentem cernimus foris, toties spiritum, quem non cernimus, intus plus operari cogitemus. Jam formam

formam verborum, sine quibus myste- Sæcul. XVI.  
 rium hoc confici non potest, Christus A. A.C. 1548.  
 postolis tradidit, cum præceperit, ut in  
 Nomine Patris, & Filii, & Spiritus  
 sancti baptizarent, huic præcepto Domi-  
 ni, quoties Baptismus confertur, & fi-  
 des accipientis, si adultus sit, pro infan-  
 tibus vero, tum suscipientium eos, &  
 pro ipsis confitentium, tum totius Ec-  
 clesie fides, & jungentis ministri ver-  
 bum innititur, quatenus is ait; Ego te  
 baptizo in Nomine Patris, & Filii, &  
 Spiritus sancti. Ac nobis quidem vide-  
 tur, ad exercitandam fidem, consolatio-  
 nemque adultorum vebementer pertinere,  
 ut intelligant, qui in nomine Patris, &  
 Filii, & Spiritus sancti baptizantur,  
 se jam potestate, virtute, & potentia  
 Patris, & Filii, & Spiritus sancti,  
 consecrari, ac sanctificari, seque totos  
 reconciliari Deo, & jam peculium Dei  
 fieri, qui est Pater, & Filius, & Spi-  
 ritus sanctus: in cujus tutelam jam tran-  
 seunt, seque fœdere sempiterno cum Deo  
 jungunt, quatenus Diabolo, ejusque op-  
 ribus abrenuntiant, promittuntque se  
 Deo militaturos: quod autem ad munus  
 baptizandi attinet, etsi hoc ad sacerdo-  
 tes maxime pertinet, tamen Laicus eti-  
 am recte, & utiliter in casu necessitatis  
 baptizare potest: nec si hæreticus bap-  
 tizaret, dummodo debita materia, forma,

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. N n ac

Sæcul. XVI  
A.C. 1548

ac intentione utatur, Sacramentum hoc iterandum est, cum hoc idem non dignitate ministri, sed veritate verbi divini, & Spiritus sancti virtute constet: quamquam autem Baptismus auferat omnia inquinamenta nostra secundum Scripturas, hic tamen non omnem vitiatæ naturæ languorem auferat, ut supra monuimus: relinquit enim concupiscentiam ad malum inclinantem, reatu ipso sublato: Concupiscentia autem illa contra bonum in homine spiritum pugnare non desinit, quoad in hac terra vivimus, in quo tamen ipsa Baptismi virtus nobis non deest, ut quæ non solum peccati omnis reatum semel ademit, sed contra concupiscentiam adhuc hærentem in nobis desideriorum bella cientem, firmat vires nostras per Spiritum sanctum, quo ipso ita munimur contra omnem concupiscentiæ vim, ut resistere ei, ac prævalere possimus, monente Apostolo: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, hætenus de Baptismo.

Gal. 5.

## CAPUT XVI.

### De Sacramento Confirmationis.

Ipsam confirmationem celebrarunt Apostoli, cum Samaritanis imponerent manus, cum utili hujus efficacia, ut in actibus Apostolorum scriptum est, & quod

quod hic egerunt Apostoli, Christi nomi- Sæcul. XVI.  
 ne fecerunt: & quamquam Sacramentum A.C. 1548.  
 confirmationis initio impositione manuum  
 tantum celebratum fuit, tamen Ecclesia  
 sub ipsis statim Apostolorum temporibus  
 ex eorundem traditione, ut externo sig-  
 no internam Spiritus sancti unctionem  
 designaret, ritui ejus adhibuit Chrisma,  
 cum impressione signi sanctæ Crucis,  
 quem morem, eumque pervetustum Ec-  
 clesia Catholica approbare non desinit.  
 Et credit, quos famulos suos Deus rege-  
 neravit ex aqua, & Spiritu, eosdem hoc  
 mysterio ita consignari, ut Septiformem  
 Spiritum sanctum Paracletum de cælis,  
 Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spi-  
 ritum consilii, & fortitudinis, Spi-  
 ritum scientiæ, & pietatis, ac timoris  
 capiant. Vis igitur Sacramenti hujus  
 est, ut qui eo confirmantur, accipiant  
 Spiritum sanctum, quo in via salutis pro-  
 gredi, perseverare, & tentationibus,  
 atque insidiis carnis, mundi, diaboli,  
 feliciter resistere possint. At quia pleri-  
 que eorum, qui baptizantur, infantes  
 sunt, nec fidei professionem per se edunt,  
 conveniet, ut pueri, cum jam adulti, de  
 Religione Christi jam satis instructi, ad  
 percipiendum Confirmationis Sacramen-  
 tum accedant, fidem Christi, & obedien-  
 tiam Ecclesiæ suo etiam ore profiteantur,  
 & jejuni, atque confessi hoc sacro my-  
 sterio



Sæcul. XVI A.C. 1548. *sterio inicientur, quemadmodum per Con-*  
*cilium Aurelianense constitutum est. Non*  
*tamen censemus, propterea parvulos ab*  
*boc Sacramento repellendos esse, cum*  
*Christus ipse non dubitarit eis manus im-*  
*ponere, non enim legem hic damus Ecclē-*  
*siis. Minister autem hujus Sacramenti sit*  
*Episcopus, id quod consensu totius Ecclē-*  
*sie Catholicæ, & Apostolorum praxi*  
*comprobatur.*

## CAPUT XVII.

*De Sacramento Pœnitentiæ.*

*Christus instituit pœnitentiæ Sacramen-*  
*tum, quod post Baptisma sit nobis*  
*tanquam secunda tabula in naufragio:*  
*in hunc enim usum tradidit clavem sol-*  
*vendi inquit: Accipite Spiritum san-*  
*ctum, quorum remiseritis peccata, re-*  
*mittantur eis. Simul ac enim peccato-*  
*rem peccati sui pœnitet vere, idemque*  
*cum fiducia accedit ad Thronum miseri-*  
*cordiæ, & credit hoc Sacramento acci-*  
*pi, quod Christus promisit, fit ei, sicuti*  
*credit: nec deest Sacramento huic, quod*  
*promissum est. Sed quia tamen Sacer-*  
*dos non solum habet potestatem remitten-*  
*di, verum etiam ligandi, cum utraque*  
*simul divinitus tradantur, videtur eate-*  
*nus potestatem judicandi accipere, qua-*  
*tenus hanc utriusque clavis potestatem ac-*  
*cipit,*

Joan. 20.



Sæcul. XVI. *ejus, & verbum tale esse debet, ut, qui*  
 A.C. 1548. *confitetur, audire, atque intelligere pos-*  
 sit, sibi virtute, merito, ac beneficio Cbristi, peccata remitti, juxta bujus institutum & verbum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Jo. 20.

CAPUT XVIII.

De Sacramento Eucharistiæ.

Instituit Christus Sacramentum Eucharistiæ sub visibili specie panis, & vini, quod verum Christi corpus, & sanguinem nobis præbet, & hoc spiritali cibo unit nos sibi ut capiti, & membris corporis sui, ut in ipso ad omne bonum enutriamur, & cum Sanctis, in eorumque Communionem augeamus per charitatem, unus enim panis unum corpus multi sumus, omnes, qui ex uno pane participamus, inquit Paulus: Forma autem bujus Sacramenti, sunt verba illa solemnia, quæ Christus ipse dedit: Hoc est corpus meum, & iterum: Hic est enim Calix Sanguinis mei &c. quod si igitur Christo, & verbo ejus tantum tribuimus, quantum debemus, dubium non est, quin simul, ac verba eadem accedunt ad panem & vinum, ex his fiat verum corpus, & verus Sanguis Christi, quatenus panis, & vini substantia in verum Christi corpus, & sanguinem transmutatur: quod  
 qui

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.

qui negat, idem Christi omnipotentiam in dubium vocat, & eundem ipsum vanitatis insinuat, quo magis cavendum est, ne indigne hoc Sacramentum sumatur. Scriptum est enim: Nam qui edit aut bibit indigne, iudicium sibi edit, ac bibit, non dijudicans corpus Domini. Itaque probanda est consuetudo Ecclesiæ, quæ hominem non ante ad Sacramentum Eucharistiæ ducit, quam penitentiæ Sacramentum eum repurgarit. Habet Eucharistia vim roborandi in bono spirituali; cui rei non sane ullus est locus, nisi repurgatio peccatorum antecesserit.

## CAPUT XIX.

*De sacra Unctione.*

Ne homo, cum ægrotat, desideret subsidium peculiare, quod hoc ejus periculosissimo tempore, vel corpori ipsius subvenire, vel animam contra ignita satanæ tela munire possit, instituta est Unctio sacra, ad quam Oratio Ecclesiæ accedat, hujus mysticæ, & salutaris Unctionis a Domino fundatæ ritum, quo administrari eam conveniat, Apostolus Jacobus promulgavit: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit

N n 4

eum

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.  
eum Dominus, &c. qui igitur contem-  
nit hoc Sacramentum, Christum ipsum  
contemnere, & gratiam, quam hic per  
unctionem sacram nobis quodammodo por-  
rigit, aspernari videtur. Unctionem  
quidem hanc sacram, solis infirmis ad-  
bibendam Jacobus Apostolus insinuat,  
quod reliqui etiam Apostoli servaverunt,  
non tamen in omnibus, sed periculosis  
modo infirmitatibus, & ubi vita hujus  
interitus timetur, exercenda est mysti-  
ca illa unctio.

## CAPUT XX.

## De Ordinis Sacramento.

Quamquam Christiani omnes sunt Sa-  
cerdotes, quatenus spirituales bo-  
stias Deo offerre, & nomen item ejus in  
omni loco utiliter invocare possunt: non  
omnes tamen sunt Ecclesiæ Ministri, sed  
jam inde ab ortu Ecclesiæ segregati sunt  
quidam in Ministerium Ecclesiæ, qui hu-  
jus muneribus fungerentur, & eosdem  
ita distinxit Deus, ne iidem omnia pos-  
sent, neve ex promiscua illa ratione per-  
turbatio nasceretur: neque enim Deus est  
confusionis author: institutum est igitur  
Sacramentum Ordinis, cum signo impo-  
sitionis manuum, & aliis huic Sacra-  
mento congruentibus ritibus, quo qui con-  
secrarentur, ad munera Ecclesiæ accipe-  
rent

vent gratiam, qua ad eadem ipsa mune-  
 ra administranda apti, habiles, atque  
 idonei efficerentur. Hinc illud Apostoli  
 ad Timotheum, noli negligere gratiam,  
 quæ in te est, quæ data est tibi per pro-  
 phetiam cum impositione manuum pres-  
 byterii, hoc autem Ordinis Sacramentum  
 verbis Christi nititur: sicut me misit  
 Pater, & ego mitto vos. Accipite Spi-  
 ritum sanctum, quorum remiseritis  
 peccata, remittuntur eis. Item eun-  
 tes docete omnes gentes, baptizantes  
 eas. Item hoc facite in meam com-  
 memorationem. Quibus igitur in perpetua  
 Ecclesiæ successione manus imponunt E-  
 piscopi, ut Ordinibus inicientur, pote-  
 statem muneris sui exequendi dant, quæ  
 sane duplex est, Ordinis videlicet, &  
 jurisdictionis, sub alteram cadit mini-  
 sterium verbi divini, administratio Sa-  
 cramentorum, & Ecclesiarum ordinatio  
 ad adificationem: sub alteram vero po-  
 testas excommunicandi, penitentes absol-  
 vendi: Ordines autem, quos Catholica  
 Ecclesia agnoscit, sunt hi septem: Pres-  
 byterorum, Diaconorum, Subdiaconorum,  
 Accolytorum, Lectorum, Exorcistarum,  
 Ostiavorum, quibus distincta munera,  
 eaque aut necessaria Ecclesiis, aut utilia,  
 assignari debent: ut facile appareat,  
 eum de Ecclesia Christiana male mereri,

Sæcul XVI.  
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI. quicumque Ordines bos, vel spernit, vel  
 A.C. 1548. tollit.

## CAPUT XXI.

## De Sacramento Matrimonii.

**I**nstituerat Deus in Paradiso Matrimonium, quo mas, & femina ad perpetuam, & individuum vitæ societatem conjungerentur, juxta verbum Domini, quam ob rem homo relinquet Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: Quamquam autem Matrimonium ad tam arctam hominum societatem institutum erat, tamen sub lege Patrum matrimonia a prima institutione duobus modis degeneraverunt, videlicet ut & unus plures uxores duceret, & ductam, aliquando dato libello repudii a se dimitteret: quorum prius ex dispensatione Dei permissum futuri temporis mysterio serviebat, ut per plures unius viri uxores insinuaret, Christum tam ex Synagoga, quam ex multitudine gentium, Ecclesiam sibi collecturum, & sponsam sibi adjuncturum: & ut fecunditate plurium uxorum, Christo Salvatore ex eodem semine nascituro servirent: Repudium vero Moyses populo ob duritiam cordis permisit lenius dicens, uxorem a viro odio habitam dimitti, quam occidi, ut cæde ejus novis nuptiis locum aperiret. Verum postquam pleni-

plenitudo gratiæ Dei venit, ut alia, Sæcul. XVI. A.C. 1548.  
 quæ vel in cælo, vel in terra essent, re-  
 stauravit Christus, sic etiam Matrimo-  
 nium restituit: hæc itaque Christiani ma-  
 trimonii singulares conditiones, manife-  
 stis Scripturæ sanctæ testimoniis compro-  
 bantur. Una, ut sit matrimonium duo-  
 rum tantum, hoc est, viri unius cum  
 una muliere conjunctio. Duo, inquit,  
 erunt in carne una, nec sic junctis liceat,  
 defraudato Conjuge suo, alicui tertio  
 corporis sui potestatem permittere, pro-  
 hibente Apostolo, & dicente: Mulier po-  
 testatem corporis sui non habet, sed vir,  
 similiter vir non habet potestatem sui cor-  
 poris, sed mulier. Altera conditio est, ut  
 vinculum conjugii inter duos semel colliga-  
 tum, nullo amplius divortio, sed sola alteru-  
 trius morte, dissolvatur. Nam quod  
 Christus ob fornicationem dimitti posse  
 uxorem insinuat, hæc separatio thori,  
 & mensæ consuetudinem inter Conjuges  
 scindit, vinculum conjugii non solvit,  
 ita ut adulterium committat, ut alie-  
 nam contrectans uxorem, quisquis sic di-  
 missam duxerit. Ac quoniam Deus fo-  
 vet matrimonium gratia sua, idemque  
 approbat, quatenus conjuges inter se ma-  
 trimonium contrahunt, signum datur  
 illustre, ad sperandam consuetudinem ip-  
 sorum cum bonam esse per se, tum Deo  
 gratam, & quamquam proles procrean-  
 dae



Sæc. XVI. *de causa matrimonium potissimum contra-*  
A.C. 1548. *hi debeat, tamen qui contrahit, etiam forni-*  
*cationis vitandæ causa, non peccat: Ha-*  
*beat enim unusquisque uxorem suam*  
*propter fornicationem, inquit Paulus.*  
*Vis igitur Sacramenti hujus est, ut intelli-*  
*gant conjuges, se non humana, sed divina*  
*authoritate conjunctos, gratiam accepisse,*  
*quia ipsis legitimis congressus non impute-*  
*tur ad culpam.*

## CAPUT XXII.

*De Sacrificio Missæ.*

*Religio sine cæremoniis coli non potest, in*  
*ipsis vero cæremoniis externam Sacri-*  
*ficii oblationem velut præcipuam omnes gentes*  
*observaverunt. Hunc autem sacrificandi ri-*  
*tum Deus, volens omnes homines salvos fe-*  
*ri, mentibus hominum divinitus inserit:*  
*Christus autem semetipsum pro nobis omni-*  
*bus hostiam in cruce appendit, nosque per hoc*  
*unicum Sacrificium Deo reconciliavit, fru-*  
*ctus quoque hujus Sacrificii per alias obla-*  
*ziones credentibus fuit applicatus. Quem-*  
*admodum igitur ante Christi adventum Deus*  
*patribus certa quedam sacrificia tradidit,*  
*quibus magni istius Sacrificii, quod futurum*  
*ipsi exspectabant, memoriam in animis suis*  
*excitarent, fidem stabilirent, & fructum*  
*ejus credendo, & orando sibi applicarent,*  
*& per eorum oblationem beneficiorum Dei*  
*gratis*

gratis animis recordarentur : sic Christus Sæc. XVI.  
 Ecclesie suæ mundam, & salutarem corpo- A C 1548.  
 ris & Sanguinis sui oblationem, sub specie-  
 bus panis, & vini commendavit, qua cor-  
 poris ejus in cruce pro nobis appensi, &  
 sanguinis effusi memoriam subinde in animis  
 nostris renovaremus, & fructum istius obla-  
 tionis cruentæ, qua in æternum consumma-  
 vit sanctificatos, in nos transferremus, hoc  
 est enim facere in memoriam ejus, id est,  
 gratis animis commemorare mortem Domi-  
 ni, & per memoriam, & meritum passio-  
 nis ejus deprecari Patrem, ut nobis recon-  
 cilietur. Hæc est munda, & salutaris ob-  
 latio, illius unici Sacrificii, quo omnium  
 salus comparata est, rememorativa, non  
 solum significans, sed reipsa in se compre-  
 hendens veritatem illarum rerum, quas di-  
 versorum Sacrificiorum oblationes olim præ-  
 signabant: eadem nimirum corporis & san-  
 guinis Christi hostia, quæ in Cruce est obla-  
 ta, non alia: idem Agnus, non alius, &  
 unus utrobique Christus, sed tunc cruento,  
 & possibili modo oblatus est, qua oblatione  
 omnibus credentibus remissionem peccatorum,  
 & redemptionem sufficienter impetravit:  
 nunc vero eundem sub mysterio, & modo  
 incruento, & impassibili offerimus, non ut  
 peccatorum remissionem, & animarum no-  
 strarum salutem jam primum promereamur,  
 sed ut Passionis Dominicæ memoriam reco-  
 lentes Deo gratias agamus pro salute nobis

Sæcul. XVI. in cruce impetrata, & ibi promeritam pro-  
A.C.1548. catorum remissionem, & redemptionem, fi-  
 de, & devotione nobis applicemus, & ap-  
 propriemus. Itaque Catholica Ecclesia duo  
 Christi Sacrificia agnoscit, eadem secundum  
 substantiam, sed secundum rationem, & ri-  
 tum offerendi multum diversa: unum in cru-  
 ce cruentum: Alterum, quo in Cæna sub  
 panis, & vini specie corpus, & sanguinem  
 suum ipse Sacerdos juxta Ordinem Melchi-  
 sedech Patri obtulit, perpetuum condens  
 novæ Legis Sacrificium, quod Apostolis  
 suis, ac Successoribus ipsorum, ut ad fi-  
 nem usque sæculi in memoriam ipsius face-  
 rent, commendavit. In celebratione Sacri-  
 ficii Altaris, nunc laudes Dei, nunc fide-  
 les populi preces, nunc gratiarum actiones,  
 nunc scripturarum lectiones admiscuntur.

## CAPUP XXIII.

De intercessione, & invocatione  
Sanctorum.

Ecclesia imprimis grata veneratione Deo  
 dilectos Sanctos complectens, pro his  
 gratias Deo agit, qui eos cum natura im-  
 becilles essent, gratiæ suæ munere ita ro-  
 boravit, ut vitia carnis superarent, & con-  
 tra peccatum, diabolum, & mortem non  
 sua, sed Dei virtute fortes, viriliter dimi-  
 cando, coronam justitiæ a justo Judice im-  
 petrarent. Nec solum veneramur Sanctos,  
 &

Et pro his gratias agimus, sed eorum pre-  
 cibus, Et meritis in omnibus divinae prote-  
 ctionis auxilio muniri postulamus, recte sen-  
 tientes, eos velut ejusdem Communionis ci-  
 ves, Et Corporis ejusdem membra, etiam-  
 num uno Spiritu, Et vinculo charitatis no-  
 biscum colligatos, salutem nostram appetere,  
 Et malis nostris indolere: ideoque pro ne-  
 cessitatibus nostris apud communem Deum  
 Patrem, per Jesum Christum communem  
 omnium mediatorem, interpellare: Quod ut  
 faciant, ipsum jus communionis, qua nobis  
 juncti sunt, simul Et præceptum eos addu-  
 cit: hac fide, sicut eorum, qui nobiscum in  
 carne vivunt, ita Et Sanctorum apud Deum  
 viventium preces pro nobis postulamus, Et  
 ut pro nobis orent, eos nominatim appel-  
 lamus, nec dubitamus, quin ei, qui potest  
 omnia, facile sit efficere, sive per Angelo-  
 rum ministeria, sive alia sibi placita ratio-  
 ne, Et via, ut nostras petitiones Sancti re-  
 sciscant, qui utrique hoc præstat, ut An-  
 geli peccatoris conversionem in cælo cogno-  
 scentes, gaudio exultent: Merita vero San-  
 ctorum non talia esse asserimus, qualia in  
 Christo invenimus, qui semetipsum pro no-  
 bis impendens, Et Sanguinem suum pro no-  
 bis fundens, plenam cum Deo reconciliatio-  
 nem mundo promeruit: Sancti vero merita  
 sua, quibus Et ipsi salvati sunt, Et nobis  
 suffragantur, ex eodem omnis salutis, Et  
 totius meriti fonte, Christi videlicet passio-  
 ne,

Sæcul. XVI.

A.C. 1548.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548. ne, hauserunt. Ex Dei autem misericordia, & liberalitate, & Christi gratia, non solum ipsis ad salutem Sanctorum merita conducunt, sed etiam nobis ad protectionem, & gloriæ divinæ impetrationem profunt.

## CAPUT XXIV.

*De memoria defunctorum in Christo.*

**E**cclēsia communis sacrificii memoriam recolens, omnia sua membra pariter ad vocare, nec quemquam eorum excludere debet, qui secundum Domini liberalem voluntatem, utilitatis hujus Sacrificii capax existit: ideoque quemadmodum prius Sanctorum, ita postea etiam reliquorum Christianorum memoriam circa Sacrificium Altaris inducit, quos in vera Christi fide decessisse pie credit, de quibus tamen satis certum esse nequit, utrum satis emundati, & purgati hinc emigraverint. Cum itaque talem orandi formam nobis Dominus insinuaverit, ut nemo pro sua tantum, sed velut magnæ Communionis civis, pro omnium utilitate rogare debeat, & per Apostolum præcipiat nos pro invicem orare, ut salvemur: magnæ in consortes suos crudelitatis, & contra Dominum detestandæ temeritatis fuerit, si quis a commercio orationum nostrarum in Christo defunctos excluderet: quod eum facere nusquam Scriptura præcipit, & communionis spiritualis, quam cum Sanctis

@mni

omnibus profitemur, ratio diserte vetat: *Sæcul. XVI.*  
 hanc autem consuetudinem per totam Christi *A.C. 1548.*  
 Ecclesiam divulgatam, qua circa Altaris  
 Sacrificium memoria defunctorum adhibetur,  
 ex Apostolica traditione promanasse, mag-  
 nis & fide dignis testimoniis abunde doceri  
 potest.

## CAPUT XXV.

De Communione, cum Sacrificio  
jungenda.

Expeditet, cum verissimum illud, & singu-  
 lare Sacrificium offertur, veterem Ec-  
 clesie morem revocare, quo non solum sa-  
 crificans ipse, sed & Diaconi, & reliqui  
 Ecclesie ministri, qui diebus solem-  
 nioribus, velut testes tanti Sacrificii, &  
 necessariorum ministeriorum Coadjutores ad-  
 hibentur, ut perceptionis corporis, & san-  
 guinis Domini nostri Jesu Christi participes  
 se præberent, seria canonum sanctione jube-  
 bantur, sed & fideles omnes pro recolenda  
 mortis Domini, & nostræ redemptionis me-  
 moria, ad hoc mediatoris nostri sacrificium  
 confluentes, sedulis exhortationibus monen-  
 di, & excitandi sunt, ut prius explorati,  
 confessi, & absoluti sacrosanctæ Commu-  
 nionis gratiam sumant, & diviniissimæ Eu-  
 charistiæ participationem una cum Sacerdo-  
 te sedulo, & devote frequentent.

CA-

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. O o

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

## CAPUT XXVI.

De cæremoniis, & usu Sacra-  
mentorum.

Cæremonie omnes retineantur, Exorcismus videlicet, abrenuntiatio, professio fidei, Chrisma, & alia: pertinent enim ad efficaciam hujus Sacramenti adumbrandam, & significandam, item in cæremoniis veteribus, quæ ab Ecclesia Catholica adhibentur Missæ, nihil mutandum videtur: sunt enim omnes ad id, quod in Missa agitur, cum primis aptæ. Et quod ad usum hujus Sacri attinet, debent in singulis Civitatibus, & in singulis Ecclesiis (etiamsi in una civitate, aut loco plures sint) quæ proprios Sacerdotes, & populi illuc convenientis frequentiam habent, singulis diebus duæ ad minimum Missæ celebrari; altera matutina, cui interesse possint homines, qui labore manuum rem quæerunt, ut convenientes vel communicent de Eucharistia, vel se Deo pie commendent. Altera vero celebror, quæ cantetur circa horam octavam diei antemeridianam, cui eodem modo adsint, qui vel communicare de Eucharistia, vel se Deo commendare velint: in pagis autem singulis quibusque Dominicis, & festis diebus, singulæ Missæ ad minimum celebrentur. Atque ut populus ad usum Missarum revocetur commode, Concionatores juxta sententiam

tiam de hoc Sacro superius explicatam, Sæc. XVI.  
 populum hortari debent, ut eidem libenter A.C. 1548.  
 intersit, cui etiam præscribendæ sunt certæ  
 meditationes, eæque ad singulas Missæ par-  
 tes aptæ, Et ante præfationem presbyter,  
 aut Diaconus, si hujus copia sit, ostendat  
 verum Missæ usum, eumque populo ex præ-  
 scripto, de quo etiam conveniat, commen-  
 det pro ratione de sacro hoc superius expli-  
 cata. Canon item, in quo nihil mutetur,  
 habeat etiam suam succinctam, Et dilucidam  
 interpretationem, ut inde Presbyteri, Et  
 functionem officii sui eo melius intelligere, Et  
 Et quod intelligunt, populo explicare pos-  
 sint. Ceremoniæ reliquæ Sacramentorum,  
 juxta præscriptum agendorum veterum, ad-  
 hibeantur: in quas tamen si quid irrepserit,  
 quod causam dare possit superstitioni, tol-  
 latur. Altaria, vestes Sacerdotum, vasa  
 Ecclesiæ, vexilla, item cruces, candelæ,  
 imagines, retineantur in Ecclesia, sed ita  
 tamen, ut sint monumenta, nec cultus la-  
 trici in hoc genus transferatur, nec ad ima-  
 gines, Et statuas superstitione concursus fiat.  
 Horæ item Canonice, Et illa pia psalmo-  
 dia, quam nobis Apostolus ipse commenda-  
 vit, ex Ecclesiis minime tollantur: Et ubi  
 sublatae sunt, restituantur, maxime vero de  
 tempore, Et Dominica, Et aliis vetustis,  
 Et sollemioribus festis: Quæ autem de San-  
 ctis adjecta sunt, ad ea, quæ in veteri de  
 Sanctis communi posita sunt, revocanda:



Sæcul. XVI. Et sicubi modum excedunt, corrigenda videntur. A.C. 1548. Vigiliæ item, Et exequiæ mortuorum de more veteris Ecclesiæ celebrentur: esset enim immane, in Ecclesia nullam illorum memoriam retinere, quasi animæ ipsorum una cum corporibus interierint. Festi item dies ab Ecclesia recepti, retineantur, si non omnes, tamen præcipui. Omnium Sanctorum, Et apud singulas Ecclesias eorum Sanctorum, qui ibidem singulares patroni habentur, ut in eisdem Sanctorum festis Deum in Sanctis honoremus, nosque ad imitationem ipsorum excitemur, Et consideremus orationibus ipsorum adjuvari, Et meritis associari. Dies item rogationum ante Ascensionem Domini, Et Lytania in die sancti Marci, Et per annum alix consuetæ processiones pro veteri more observentur. Similiter in Hebdomada sancta, Et circa reliqua Ecclesiæ festa debita solemnitates adhibeantur, Et in Vigilia Paschæ, Et Pentecostes aqua Baptismalis per omnes Ecclesias Parochiales solenni benedictione præparetur, ac cum abstinentia carniû, quæ non abominationis, sed temperantiæ causa suscipitur, per se bona, Et ad carnem castigandam apta sit, ac etiam publica utilitas postulet, ut certis temporibus a carnibus abstineamus, cum alias pecora ad assiduum carniû esum sufficere vix possint, mos, Et institutum veteris Ecclesiæ diebus jejuniorum, feria sexta, Et Sabbato a carnibus abstinendo

nendo retineatur. Nec improbetur benedi- Sæcul. XVI,  
ctio earum rerum, quæ exorcismis, & ora- A.C. 1548.  
tionibus ad usum hominum præparantur,  
dummodo operationes, quæ inde nascuntur,  
non rebus ipsis, sed divinæ virtuti tribuan-  
tur, & caveatur, ne eædem ad ullum in-  
cantationis, aut superstitionis genus trans-  
ferantur: Et quamquam cum Apostolo sen-  
tiendum, eum, qui cælebs est, curare, quæ  
sunt Domini &c. eoque magis optandum,  
multos inveniri Clericos, qui cum cælibes  
sint, vere etiam contineant, tamen cum mul-  
ti, qui ministerii Ecclesiastici functiones te-  
nent, jam multis in locis duxerint uxores,  
quas a se dimittere nolint: super ea re ge-  
neralis Concilii sententia expectetur, cum  
alioqui mutatio in ea re, ut nunc sunt tem-  
pora, sine gravi rerum perturbatione nunc  
fieri non possit. Illud tamen negandum non  
est, etsi conjugium per se honorabile est, jux-  
ta Scripturam: eum tamen, qui non ducit  
uxorem, & vere continet, melius facere,  
secundum Scripturam. Eadem est ratio  
usus Eucharistiæ sub utraque specie, cui  
multi etiam assueverunt, & ab eo avelli si-  
ne gravi rerum motu hoc tempore non pos-  
sunt: & quia Concilium Oecumenicum, cui  
omnes Imperii Status se submiserunt, pro-  
cul dubio piam, & sollicitam curam adhi-  
bebit, ut in hoc casu conscientias multorum,  
& publicæ tranquillitati optime consulatur,  
qui usum utriusque speciei antehac receperunt,

Sæcul. XVI

A. C. 1548.

*eumque relinquere nolunt, super ea quoque re deliberationem, & sententiam Oecumenici Concilii expectent: hi tamen, qui utriusque speciei usum amplectuntur, illam inueteratam sub una specie communicandi consuetudinem reprehendere non debent: nec alteri alteros perturbent, donec super ea re Concilium Oecumenicum decreverit. Et quamquam Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie institutum sit, non tamen sentiendum est, Christum in carne dividi, contra quam Scriptura divinitus inspirata tradit, sed sub singulis speciebus integrum contineri. Ac quoniam in Sacramento Eucharistiæ est verum Christi Corpus, & verus Christi Sanguis, in hoc Sacramento, Christum merito adorari debere, item Sacramentum Eucharistiæ semel verbo Christi consecratum, etiamsi asservetur diutius, tamen Sacramentum, & corpus & sanguinem Christi permanere, donec sumatur.*

## §. XXIII.

*Emendationis formula a Cæsare Augustæ promulgata.**Pallav. lib.**II. cap. 2. n. 1.**& seq.*

**P**erlectis hisce articulis Imperii Ordines Cæsarem rogarunt, ut pariter in iisdem Comitibus pro emendanda Ecclesiæ disciplina formulam confici juberet: Annuit Imperator edito hanc in rem decreto, quod die decima quarta Junii

Junii prælectum, atque acceptatum se-  
 quentes viginti duos articulos circa re-  
 formationem continebat *I. de ordinatio-  
 ne, & electione Ministrorum Ecclesiæ, de eo-  
 rum moribus, scientia, atque ætate. II. De  
 officio Episcoporum, & Archidiaconorum,  
 Parochorum &c. III. De obligationibus  
 Decanorum, & Canonorum. IV. De  
 Officio Divino, & Psalmodia. V. De re-  
 formatione Monasteriorum Regularium, ac  
 Sanctimonialium. VI. De Universitatibus.  
 VII. De Xenodochiis. VIII. De præ-  
 dicando Evangelio in sua puritate juxta in-  
 terpretationem Sanctorum Patrum. IX.  
 De Administratione Sacramentorum agit.  
 X. Usus Lingue Latine in Sacris appro-  
 batur. XI. Monentur Episcopi, ut Con-  
 firmationis Sacramentum administrent. XII.  
 Approbatur Canon Missæ, ususque pacem  
 dandi, nec non statuitur, quod sub elevatione  
 hostiæ nihil cantetur, simulque decernun-  
 tur ea, quæ sacras Pyxides, & Taber-  
 nacula concernunt. XIII. Innovatur lex  
 de confessione saltem semel in anno apud  
 proprium Pastorem deponenda. XIV. A-  
 gitur de extrema Unctione. XV. Sta-  
 tuuntur ea, quæ Matrimonium spectant.  
 XVI. Afferuntur rationes mysticæ, ob quas  
 ceremoniæ Ecclesiæ fuerunt institutæ.  
 XVII. Conduntur statuta circa Cleri, po-  
 pulique mores. XVIII. Damnatur plu-  
 ralitas beneficiorum. XIX. Decernitur,*  
 O o 4      quali-

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1548.

**Sæcul. XVI** *qualiter populos regi oporteat. XX.*  
**A.C. 1548** *Mentio habetur de Episcoporum visitationibus. XXI. Præscribuntur Synodi Diocessanæ omni biennio, ac Provincialia Concilia singulis trienniis celebranda. XXII. Agitur de excommunicatione, monenturque Judices Ecclesiastici, ne anathema pronuntient, nisi in causis criminalibus, gravibus, ac mortalibus, necnon duntaxat in eos, qui alia via ad officium redigi nequeunt.*

## §. XXIV.

*Hæc formula Interim a Protestantibus æque, ac a Catholicis rejecta.*

*Steidan. initio lih. 21. pag. 736.*

**H**ic igitur erat tenor percelebris illius decreti a Carolo V. editi, quod vulgo *Interim* dictum universam Europam tot, tantisque tumultibus agitabat; nam reprobabatur unanimi consensu non tantum a Catholicis, sed ipsi etiam Protestantibus, Cæsar tamen illius Auctores largis muneribus augebat; Islebius enim a Cæsare, atque a Ferdinando Romanorum Rege liberale donum ob navatam operam retulit: Michael vero Sidonius Episcopatum Merseburgensem in Saxonia postmodum consecutus est. Equidem disertis verbis cautum erat, ne quis hanc formulam impugnare præsumeret, plures tamen prodire libri, quibus hæc doctrina, necnon ipse

*Pall. l. II. c. I. num. I.*

ipſe libellus tanquam ſummopere pernicioſus damnatus fuerat. Accuſatur Imperator a Catholicis, quod Religionem immutandi, ac propria auctoritate ſua tot Conciliorum, ac Pontificum ſanctiones evertendi poteſtatem ſibi arrogaffet: ut vero hoc *Interim* magis adhuc exoſum redderetur, collatum illud fuit I. cum percelebri illo Hexotico, ſeu unionis ediſto, quod Zenon Imperator Anno Domini quadringentefimo octogefimo quarto a Petro Mongo Alexandrino Patriarcha, & Acacio Cæſarienſi Epifcopo inductus ediderat, ſi bique auctoritatem arrogaverat in fidei rebus decreta condendi, quibus ſpecie tenus Nicæni, Conſtantinopolitani, & Ephefini Concilii Canones auctoritate etiam profana firmarentur, re tamen ipſa Calcedonenſis Concilii auctoritati derogaretur. II. Comparatum fuit Cæſareum hoc *Interim* cum Ectheſi, ſeu expoſitionis ediſto, quod Heraclius Imperator Anno Chriſti ſexcentefimo trigefimo octavo promulgaverat, ut ſubſiſto doctrinam a Monothelitis impugnatam defendendi obtentu ſenſim fidelium animis inſtillaret dogma eorundem hæreticorum, qui Chriſto Domino nonniſi unicam voluntatem adſcribebant. III. Hoc Caroli decretum haud abſimile dicebant *Typo*, ſeu formulæ,

O o 5      quam

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548

quam Constans Imperator Heraclii successor Anno reparatæ salutis sexcentesimo octogesimo quarto publici juris fecit, ac nec de una, nec de duabus Christi voluntatibus mentionem fieri præcepit, specietenus quidem, ut omnes hæretici ad Ecclesiæ unionem revocarentur, re tamen ipsa id fiebat, ut Christo Domino abnegaretur natura humana, cujus voluntatem suppressere gestiebant hæretici.

§. XXV.

*Plures Scriptores Catholici hoc Interim impugnant.*

*Steid. lib. 21.  
p. 729  
Spond. hoc  
ann. n. 7  
Orland. Hist.  
Soc. l. 8. n. 35.*

Primi omnium in Italia hanc credendi formulam damnabant Veneti, ac die decima nona Julii Anno Domini supra millesimum quingentesimo quadragesimo octavo Senatus decretum edidit, quo omnibus, & singulis inhiberetur, ne vel unicum illius exemplar retinerent, indicta in transgressores pœna corporali, constituto autem præmio, ac securitate omnibus, qui ejusmodi reos manifestarent. Præterea adversus hunc libellum Romæ supremus Ordinis Fratrum Prædicatorum Magister nomine Romæus calamum suum acuit: in Galliis vero Robertus Cenalis Abriensis Episcopus hoc *Interim* impugnavit.

vit edito libro, cui titulus, *Antidotum ad* Sæcul. XVI.  
*postulata INTERIM*, quod anno Chri- A. C. 1548.  
 sti quingentesimo quadragesimo nono  
 supra millesimum Parisiensibus literis  
 excusum fuit, in quo satis prolixo ser-  
 mone infurgit contra hosce duos arti-  
 culos de Sacerdotum connubio, ac de  
 Communionem sub utraque specie, nec  
 minus vehementer contra Bucerum,  
 qui secundas inibat nuptias, declama-  
 bat. Denique Pater Bobadilla, ex pri-  
 mis novem S. Ignatii Loylæ fociis unus,  
 dum adhuc in Cæsaris aula agebat, ca-  
 lamum suum strinxit, verum ea res pa-  
 rum grata erat Ignatio, ac Bobadillam,  
 cum in Italiam reverteretur, satis re-  
 misse exceperat. Verum Imperator  
 tot scriptis exagitatus cunctas hæc  
 querelas sequenti responso elusit: „Ea,  
 „ quæ articulos hujus *Interim* promul-  
 „ gando statui, nullo pacto Catholicos  
 „ respiciunt; his enim veteres eorum  
 „ usus, ac consuetudinem servandi ple-  
 „ na relicta est libertas, solos igitur ea  
 „ spectant Lutheri Sectatores, quos ad  
 „ rectam veritatis semitam, a qua de-  
 „ viarunt, hac ratione reducere decre-  
 „ vi: minus vero Ecclesiasticos ad in-  
 „ eundem matrimonium compellere  
 „ intendo, eapropter in cælibatu suo,  
 „ si ita placuerit, diutius vivere pote-  
 „ runt. Porro id, quod Communio-  
 nem



**Sæcul. XVI** „ nem sub duplici specie attinet, id u-  
**A.C. 1548.** „ nice Protestantes concernit, minime  
 „ vero Catholicos ad hunc usum ad-  
 „ stringit. „ Nec vana erat hæc ex-  
 „ cusatio; quippe Carolus Imperator in  
 hoc suo decreto Catholicis præcepe-  
 rat, ut in unione Ecclesiæ constantes,  
 atque immoti persisterent, prout hu-  
 cusque fecissent. Denique illi, qui Ca-  
 rolo favebant, affirmarunt, quod Cæ-  
 sar nullatenus articulos Ecclesiæ usui  
 adversos comprobaret, sed duntaxat il-  
 los interim toleraret, eosque illis per-  
 mitteret, qui jamjam hæresi essent in-  
 fecti; ex hoc autem minime sequi di-  
 cebant, quod integra Lutheri doctrina  
 toleretur: præterea demonstrabant,  
 quod hoc decretum *Interim* nil commu-  
 ne habeat cum Typo, Ecthesi, & He-  
 notico, cum evidens esset, quod hi tres  
 Imperatores per ejusmodi edicta om-  
 nes quoque suos subditos ad errores,  
 quos ipsi profitebantur, inducere mo-  
 liti sint.

## §. XXVI.

*Paulus III. propter hoc edictum pa-  
 rum commotus.*

**E**quidem summus Pontifex quosdam  
 Præsules, qui hoc decretum vel e-  
 mendari, vel supprimi curarent, ad Cæ-  
 sare[m]

farem ablegare decreverat: cum vero Cardinalis Moronus, aliique Præfules Bononiæ congregati eidem suaderent, ut hac in re nihil moveret, hinc potiora habuit eorum consilia, quam sese omnibus, quæ inde eventura timebantur, malis exponere.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

§. XXVII.

*Tumultus ob decretum Interim in Pontificis Aula suscitati.*

Verum haud adeo paccato animo Pontificis Ministri hoc decretum excipiebant; quippe Cardinalis Farnesius apud Philippum Cæsaris Filium, atque insigniores Hispaniæ Proceres hac super re graviter querebatur; præterea Episcopus Ambiliatensis Montano dixit: perdidimus omnia, actum est de re Christiana. Alii palam spargebant, quod hæc credendi formula specietenus quidem præferat doctrinam Catholicam, sed talis sit, quæ a Religione Catholica toto cœlo distat, atque peculiaris quædam capita attingentes, id reprehendebant. „ Quod in capitibus „ de peccato originali, de justificatione, „ de Sacramentis, de Baptismo, & de „ Confirmatione, libri hujus confarcinatores eandem doctrinam non attulissent, quæ decretis Concilii fuerat „ sta-

Pall. l. II.  
c. I. n. I.

Sæcul. XVI  
 A. C. 1548

„ stabilita ; cum enim ea collectio ad  
 „ usque Concilium duntaxat obtinere  
 „ debuerit, atque de his capitibus a  
 „ Synodo hæctenus pronuntiatum sit,  
 „ quid aliud hic fuisse dicendum infe-  
 „ rebant illi, nisi ut Concilii decretis  
 „ omnino staretur ? jam vero diversam  
 „ a Concilii decretis doctrinam velle  
 „ promulgare, nil aliud est, quam vim  
 „ omnem Concilio adimere, immo hoc  
 „ magis suspiciosum est argutum illud  
 „ Cæsaris artificium, quod is quo tempore  
 „ instanter urgebat Concilium revo-  
 „ cari Tridentum, hoc ipso tempore om-  
 „ nem Synodi Tridentinæ decretorum  
 „ auctoritatem enervaret. Damnabat  
 „ insuper totum illius doctrinæ corpus,  
 „ eoquod ambiguis loquendi formulis  
 „ exprimeretur, sensum satis commo-  
 „ dum prima facie admittentibus, in-  
 „ trorsum vero veneno tinctis, etiam  
 „ alicubi de industria verba generalia  
 „ confectantibus, ut Lutheranis de-  
 „ tur effugium ad interpretationem iis  
 „ ex suo sensu affingendam. Certe li-  
 „ bri ejus auctores de concupiscentia  
 „ loquuntur Lutheranorum in morem,  
 „ ac similiter de justificatione, fiduciam  
 „ omnem in divinis promissionibus repo-  
 „ nentes, & nimium, immo vero totum  
 „ negotium, fidei tribuentes. Postea pro-  
 „ sequuntur illi, in capite de operibus,  
 „ de

„ de merito *ex condigno*, in quo cardo **Sæcul. XVI.**  
 „ est ejus controversiæ, ne verbum qui- **A.C. 1548.**  
 „ dem dicitur. In capite de Ecclesia,  
 „ ejusdem unitas a capite visibili, quod  
 „ tamen ei essentialis est, non ut decet,  
 „ deducitur; immo, quod est deterius,  
 „ Ecclesiam sibi fingit hoc decre-  
 „ tum per charitatem invisibilem, ean-  
 „ demque postea visibilem reddere  
 „ non aliud est, nisi subtili quadam, &  
 „ occulta ratione Hierarchiam ever-  
 „ tere, & Lutheranorum sententiam  
 „ adstruere. Pro notis item veræ  
 „ Ecclesiæ statuit puram doctrinam,  
 „ & legitimum Sacramentorum usum,  
 „ omissa interim nota indubitata, quæ  
 „ est erga Pontificem Romanum obe-  
 „ dientia; id vero Sectariis omnibus,  
 „ ad Ecclesiæ nomen maxima animo-  
 „ rum obstinatione sibi arrogandum,  
 „ viam haud dubie aperit, neque ullo  
 „ modo ferendum illud, quod summi Pon-  
 „ tificis institutio sit in remedium schis-  
 „ matis, Episcoporum autem de jure  
 „ divino. Præterea Sacramentum pœ-  
 „ nitentiæ factum est ab iis prout a Lu-  
 „ thero, quando dicitur, iis, qui credunt,  
 „ hoc Sacramento id accipi, quod  
 „ Christus promisit, fieri, sicuti credunt:  
 „ ad hæc de Sacrificio Missæ id subti-  
 „ cetur, quod caput est, nempe, expia-  
 „ torium esse pro vivis, & vita functis.  
 „ quod

Sæcul. XVI., quod autem Sacerdotibus permitti-  
 A.C. 1548. „ tur uxores ducere, & Laicis Co-  
 „ nam Domini sub utraque specie fu-  
 „ mere, cuique est perspicuum horum  
 „ abusu concessione fidem omnem  
 „ catholicam labefactari. Denique u-  
 „ na & communis vox erat omnium,  
 „ qui Sedi Apostolicæ erant addicti, a-  
 „ gi nunc de summa rerum, jam con-  
 „ vulsa esse Ecclesiæ fundamenta, unde  
 „ vires omnes colligendæ, Principes  
 „ omnes exfuscitandi, atque ad omnium  
 „ nationum Episcopos nuntii qua-  
 „ quaversum mittendi, ut principio  
 „ huic obstent, ex quo sine dubio se-  
 „ cutura esset Ecclesiæ Romanæ, si non  
 „ everio (quæ certe impossibilis) sal-  
 „ tem maxima, quæ fuit unquam, &  
 „ fœdissima deformatio. (\*),

## §. XXVIII.

*Hæretici huic INTERIM vehementer obluſtantes.*

*Sleid. comm.* Nec magis Hæreticis hoc decretum  
*lib. 21. p. 737.* arridere videbatur; præcipui enim  
*Thou hist.* Lutheranæ Sectæ Præcones palam pro-  
*lib. 5. n. 2.* fitebantur, se illud nunquam receptu-  
 ros:

(\*) Hæc Continuator de verbo ex suo Paulo Sarpio per celebri nugarum Architecto, destitutus alio probato Scriptore, transcripsit.

ros: insuper Casparus Aquila Salfeldensis **Sæculi XVI.**  
 Minister in Thuringia illud vehementi **A.C. 1548.**  
 calamo insectabatur. Huic scribendi  
 caussam dederat Islebius, eoquod is  
 domum reversus jactitaret, quod nunc  
 aureum instaret sæculum, imo & Ipse-  
 met Casparus Aquila hoc decretum ap-  
 probaret. Bucerus quoque Argenti-  
 nensis Præco nunquam illud recipe-  
 re voluit, eoquod, ut inquiebat ipse, hoc  
 decreto Pontificis auctoritas revocare-  
 tur. Alii præcipuarum urbium Prote-  
 stantes Ministelli, atque inter eos præ-  
 fertim Wolfgangus Musculus Augusta-  
 nus, Brentius Hallensis, Osiander No-  
 rimbergensis, ac nonnulli alii maluerunt  
 suis officiis, ac prædicandi muneri nun-  
 tium mittere, seque in Prussiam, vel ad  
 Helvetios recipere, quam huic *Interim*  
 subscribere. Obstitabat pariter obfir-  
 mato prorsus animo Joannes Fridericus  
 Saxonix Dux, qui præ omnibus Mi-  
 nistris Lutheranæ hæresis magis studio-  
 sus erat. Nec deerant alii plures præ-  
 cipue in Saxonia, & Thuringia, qui in  
 Cæsaream hanc Constitutionem scripta,  
 ac dicta prorsus atrocia evomuerunt,  
 quos inter certe postremus haud erat  
 Calvinus, qui Genevæ pro summo im-  
 perio Religionem moderabatur. Verum  
 famosos hosce libellos Joannes Coch-  
 læus validissimis argumentis confuta-  
 bat,

*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. P p bat,*

Sæcul. XVI bat, ac Cæsaris innocentiam edito li-  
A C. 1548. bro vindicabat, ad cuius exemplum plu-  
 res alii Viri eruditione clarissimi Impe-  
 ratorem defendere aggrediebantur.

## §. XXIX.

*Constantienses hoc Interim acceptare,  
 per Cæsarem compulsi.*

*Thou 1.5.n.5.* Interea Cæsar totus in eo erat, ut li-  
*Sleid. 1. c.* brum suum tueretur, hinc eos, qui il-  
*p. 738.* lum acceptare renuebant, severe plecte-  
 bat, quam ob rem a Magdeburgensi, ac  
 Constantiensi urbibus graves deposce-  
 bat pœnas; cum enim Constantienses  
 ægerrime ferrent, quod tanquam Cæsa-  
 ris hostes haberentur, hinc suos Depu-  
 tatos Augustam decreverunt; cum au-  
 tem conditiones nimium duras sibi im-  
 poni arbitrarentur, totam rei gestæ  
 seriem ad urbis suæ Senatū perscrip-  
 serunt; Senatores itaque literis ad  
 Cæsarem die undecima Julii datis per-  
 demisse hæc eidem exponunt: *Suppli-  
 ces petimus, Augustissime Cæsar, ne quid  
 contra conscientiam, & animæ salutem age-  
 re cogamur, videmus periculum nostrum, &  
 in maximis angustiis versamur: nisi enim  
 pareamus, omnes nostræ fortunæ, atque vita  
 in discrimen vocantur: quod si vero mo-  
 rem gerimus, Dei vindicta, atque iudicium  
 nobis subeundum erit: parcas igitur, nec*  
 in

in calamitosos, atque desertos gravius ali-  
 quid statuas, præsertim, cum nos non ma-  
 gis, quam alii deliquerimus, & Imperii, ac  
 domus Austriacæ causa, maximas olim si-  
 mus perpeffi calamitates, & ne nunc qui-  
 dem ullum onus, quod a nobis præstari pos-  
 sit, atque debeat, recusemus: ac licet per-  
 tenue sit nostrum ærarium, & facultates  
 exiguæ, tamen in multam daturi sumus au-  
 reorum millia octo, & tormenta magna qua-  
 tuor: sed petimus, ut religionem, in qua  
 nunc annos viginti permansimus, nobis per-  
 mittas vivere ad decretum usque legitimi  
 Concilii, neque graviora civitati, quam ferre  
 possit, imponas.

Ad hæc Atrebatensis Episcopus  
 paucis reposuit: „ cum sat luculenter  
 „ appareat, quod concordiam respuatis,  
 „ hinc Cæsar ad alia recurrere media  
 „ cogitur, ut vos ad officium redigat. „  
 Accepto hoc responso Deputati re infe-  
 sta ad sua reversi sunt. Porro plurium  
 sententia eo abibat, quod Cæsar suam  
 formulam a Constantiensibus non fuisse  
 acceptatam, haud iniquo tulerit animo,  
 cum illi esset in mente, armis potius  
 hanc urbem Austriacæ ditioni subicere,  
 quam initis concordiaë pactis Religionem  
 ibidem stabilire (\*). Enimvero Cæsar  
 Alphon-

(\*) Hæc Thuanus Gallus in invidiam Au-  
 gustissi-



Sæcul. XVI. A.C. 1548. Alphonsum Vives hanc urbem ex improviso capere iussit: verum hic Bellidux prospero hujus expeditionis successu frustratus non nisi cum vitæ suæ dispendio recessit: Cæsar vero urbis incolas Imperio proscripsit, cumque ipsimet cives in diversa scinderentur studia, longe consultius fore censebant, si proximum exitium debita submissione præveni-

gustissimæ Domus Austriacæ nullo allegato Auctore vulgavit, quantæ fidei autem Scriptor audiatur Thuanus, legere est apud Henricum Schüz, qui in sacro commentario critico, Verbo *Thuanus* hæc habet: *Plurimos sane, sed heterodoxos maxime, sui encomiastes reperit Thuanus, quos inter facile agmen ducit Conringius, ut videre est apud P. Ignatium Schwarz. P. III. Colleg. Hist. p. 128. 129. 130. 132. 133. 134. At si in discipulum recidit gloria Magistri, quem ille sequitur: etiam dedecus utrique erit commune. Secutus vero est, ipso Conringio teste, Thuanus Sleidanum, Cythraum, Buchananum &c. Præ quanta nomina! nimirum mendacissima. Meruit certe Thuanus, ut adversus ejusdem fabulas, ac imposturas calamum stringeret Joannes Baptista Gallus J.C. & librum pariter publicaret, cui Titulus: Notationes in Thuani Historiam, lectoribus & utiles, & necessariae: quas lege sis apud Gretserum T. XVII. Operum P. II. à p. 23.*

venirent, quocirca decretum *Interim* re-  
ceperunt, quo facto mox die decima  
tertia Octobris concordiae articuli utrin-  
que firmati fuere.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

## §. XXX.

*Argentineses ad acceptandum idem  
decretum sollicitati.*

Die vigesima octava Junii Granvella-  
nus Cæsaris jussu Argentineses  
Deputatos, quorum princeps erat Jaco-  
bus Sturmus, adesse jussit, eis per  
Henricum Hasium hæc significari fe-  
cit: *scitis utique, quemadmodum Imperii Or-  
dines a Cæsare flagitarint, ejusque fidei per-  
miserint, ut rationem aliquam constitueret,  
quæ servetur adusque Concilium: id ille fe-  
cit, & formula fuit conscripta a viris do-  
ctis, atque bonis, quam Principes omnes,  
paucis quibusdam exceptis, & præcipue Ci-  
vitates approbarunt: cum autem vos &  
quidam alii Cæsarem orastis, ut suis hoc  
denuntiare liceret, assensit ille, atque interea  
expectavit: verum quod nihil adhuc vestri  
responderint, est nonnihil ei molestum, ideo-  
que mihi dedit negotium, ut, quæ sit vestra  
voluntas, cognoscam.*

*Sleid. comm.*

*l. 20. p. 732.*

*Thu. hist. l. 5.*

*n. 2.*

Ad hæc Deputati, cum silentii causam  
exponerent, epistolam exhibent ex  
Argentinesis Senatus sententia Cæsari  
inscriptam, in qua ita differebant: *nihil*

P p 3 *nobis*

Sæcul. XVI. nobis magis est in votis, quam ut in omnibus  
A. C. 1548. Cæsari gratificari liceat: sed nobis, no-  
 strisque civibus ita est persuasum, quod si  
 decretum hoc omnino recipiamus, fore, ut  
 & conscientiam nostram ipsi lædamus, &  
 Deum graviter offendamus, & nostræ salu-  
 ti pessime consulamus: cum autem Cæsar  
 pro sua prudentia satis intelligat, quam  
 sit istud grave, petimus nos per Christum,  
 ut in re tam ardua, quæ non ad facultates,  
 atque bona, sed ad animæ salutem, & ad  
 vitam sempiternam pertinet, nostri rationem  
 habeat, & sicut aliis diversæ partis, ita  
 nobis quoque Religionem permittat Augu-  
 stianæ Confessionis, adusque Concilii decre-  
 tum, uti sæpe constitutum fuit in comitiis,  
 neque cogat, ut secus, quam sentimus, ore  
 profiteamur, nos vicissim omni ratione cu-  
 rabimus, ne quid in nostra Civitate turbu-  
 lenter, aut irreligiose fiat, neve prava dog-  
 mata locum habeant, & ne qua vicinis que-  
 rimonice caussa detur. De cetero hac in  
 re nil amplius petimus, nisi quod pluribus  
 aliis jam concessum fuit.

Perlecta hac epistola Granvellanus  
 Deputatis significari iussit, Cæsarem sem-  
 per præclare de eorum civitate sen-  
 sisse, cum vero plerique omnes illius  
 decretum laudassent, ratumque habuif-  
 sent, non esse, cur ipsi putarent se ex-  
 emptum iri.

## §. XXXI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.*Exitus Augustani conventus.*

Cum autem nihilominus Deputati for-  
mulam acceptare recusarent, Gran-  
vellanus eos minis terrere cæpit, nec  
tamen ullo pacto eorum pertinaciam  
frangere potuit, unde Imperator die ul-  
tima Junii comitiis finem imposuit,  
prius tamen decrevit, omni studio in id  
incumbendum esse, ut Synodus Triden-  
ti continuaretur, necnon decretum  
*Interim* rursus promulgaretur, addito  
mandato, illud absque ulla exceptione  
recipiendum esse. Finitis itaque co-  
mitiis Imperator Imperii Ordines, ac  
Principes rogabat, quatenus suos quo-  
que Deputatos ad Concilium decerne-  
rent, quamprimum obstacula a Ponti-  
fice posita cessaverint. Præterea pro-  
missis fidei publicæ literis omnes Eccle-  
siasticos, necnon Confessione Augustanæ  
addictos, ut & ipsi Concilium accede-  
rent, invitabat, potissimum eo nomine, ut  
ibidem eorum causâ juxta Christianæ  
prudentiæ leges dijudicaretur, ac sepo-  
sito privatæ utilitatis studio definitiones  
nonnisi sacris Literis innixæ promulga-  
rentur, ac denique eisdem, prout æ-  
quitas tulerit, differendi facultas con-  
cederetur.

P p 4

Ter-

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

Tertia demum Mensis Augusti die Cæsar convocatis Augustanis Senatoribus, aliisque civium præcipuis per Helldum nomine suo hæc significari iussit: *Turbulenter, ac seditiose plurimis nunc annis administrata fuit vestra respublica, ejusque rei causa est, quod in Senatum adlecti fuerint de media plebe homines imperiti, & opifices, nullam ad rem minus, quam ad gubernationem idonei: ego vero, qui Civitati bene consultum volo, ut huic malo medicina fiat, exauthorare debeo hos omnes, non quidem ignominia, sed communis utilitatis causa.*

His dictis Cæsar quosdam alios prioribus subrogabat, ac nominatione facta illos, quos in Senatum adlegebat, fidei jurejurando sibi obstrinxit, eosque hortatus est, ut officii sui munia cum summa integritate obirent, ac decreto Religionis parerent, omnemque obedientiam Cæsari præstarent. Postea opificum Tribus simul abrogavit, literasque omnes, quibus earum privilegia continebantur, mox novo Senatui exhiberi iussit, atque indicta capitis poena sanxit, ne qua civium deinceps conventicula fierent. Novam hanc Reipublicæ formam postea clausis omnibus urbis portis voce Præconis publice promulgari, ac varias civitatis stationes valido militum præsidio firmari præcepit: Senatus

tus vero Cæsari gratias ob tam paternam sollicitudinem rependens omne obsequium eidem pollicebatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

§. XXXII.

*Argentinesium epistola ad Cæsarem.*

Longe minorem obsequendi voluntatem exhibebant Argentinesium Deputati; hi enim ad Cæsarem Gallice, cum huic idiomati multum affectus esset, epistolam dederunt, in qua hæc exponebant: *Religionis decretum convocatis, & adhibitis nostræ civitatis theologis, totum diligenter expendimus: & quamquam in ea reperiantur, quæ non omnino dissident a sacris literis, quoniam tamen ita scripta sunt, ut in plerisque sit opus explicatione majori, perdifficile nobis est, atque grave, sic illa recipere; nam persuasissimum nobis est, doctrinam nostram, atque ceremonias congruere cum verbo Dei, neque posse a nobis, nisi cum offensione Dei, & vulnere conscientiæ, vel deserri, vel immutari prius, quam facta sit cognitio, & nostri etiam homines auditi: hæc enim consuetudo semper fuit inde a prima ætate Ecclesiæ, ut a legitimis conventibus dubia, & controversa definirentur. Hæc quoque ratio semper omnium optima visa fuit in imperii comitiis, ut pro concilio res tota permitteretur: itaque per omnia sacra, perque Sanguinem Christi ro-*

*Sleid. p. 741.*

P p 5 gamus,

Sæcul. XVI. *gamus, pro nobis effusum, ut in eo valeant*  
A.C. 1548. *Imperii decreta, nobisque Religionem hanc*  
*tueri liceat, donec legitimi Concilii authori-*  
*tas intervenerit: etenim neque melior, nec ad*  
*constituendam pacem utilior inveniri via pot-*  
*est, neque sane diuturnior.*

Verum Carolus Cæsar eadem fer-  
 me, quæ nuper responderat, eis signifi-  
 cari iussit, præcipiens, ut sese submit-  
 terent, nec ultra precibus instarent, cum  
 hac super re aliud decerni non possit, i-  
 psis tamen promisit, quod in Synodo suas  
 querelas libere proferre valerent, por-  
 ro intra mensem diserte, quæ sit i-  
 psorum voluntas, exponerent. Hoc re-  
 sponso Senatores valde conterriti, ma-  
 gnum, ut vocant, Reipublicæ Senatum  
 convocant, qui tamen non nisi in diffi-  
 cillimis, maximique momenti rebus  
 cogi consueverat, ac trecentis constabat  
 civibus, ita ut ex singulis tribubus, qua-  
 rum sunt viginti numero, quindecim se-  
 ligerentur.

## §. XXXIII.

*Decretum Interim ab Argentinensibus*  
*sub quibusdam conditionibus*  
*acceptatum.*

*Sleid. Thu*  
*l. c.*

Collectis itaque Senatorum suffragiis,  
 plerique decretum *Interim* minime  
 recipiendum, nec ulla concordiae pacta  
 esse

esse ineunda censebant: Verum interje- Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.  
ctis aliquot diebus accepto nuntio, quod  
Cæsaris copiæ jamjam appropinquarent,  
Argentineses ad mitiora descendere  
cæperunt, tandemque die septima Se-  
ptembris datis ad Cæsarem literis sup-  
plices hæc exposuerunt: Quoniam nos,  
*invictissime Cæsar, ad Concilium rejicis, &*  
*fore dicis, ut ibi res juxta sacras literas*  
*tractetur, conditionem accipimus: & ne vi-*  
*deamur esse contentiosi, vel obstinati, quo-*  
*minus nostræ civitatis Episcopus formulam*  
*illam tuam certis in templis apud nos per*  
*sui ordinis homines instituat, non recusamus:*  
*de templis cum eo transigemus, nec ullum*  
*inferemus impedimentum, neque cives ab illis*  
*arcebitur, & cuique liberum erit, quam*  
*volet, & quam rectam esse putabit, reli-*  
*gionem sectari, sed ea lege tamen, ut nobis*  
*invicem habere liceat aliquot templa, in qui-*  
*bus verbum Dei pure doceatur, & admi-*  
*strentur Sacramenta, sicut decet, & lingua*  
*populari. Curabimus etiam, ut populus in*  
*disciplina contineatur, & ne quid præter*  
*decorum fiat: deinde dies festos, & quod*  
*reliquum est de jejuniis, & interdicto est*  
*carnium, observari mandabimus, neque pa-*  
*tiemur, ut pro Concione, vel aliis in locis a-*  
*liquid fiat, quod offensionem causam præbere*  
*possit. Et quoniam hæc doctrina multis*  
*nunc annis ita radices egit in animis homi-*  
*num, ut, nisi cum vulnere conscientie, tam*  
*subi-*



Sæcul. XVI. subito tolli non possit: deinde, quoniam hæc  
A.C. 1548. ratione, quam ostendimus, decretum tuum,  
 Cæsar, locum apud nos habebit, oramus,  
 quam possumus vehementer, ut nostris preci-  
 bus acquiescas, & ad usque Concilii tempus  
 religionem hanc nobis permittas.

Has condiciones, quas Jacobus Sturm-  
 ius pro sua eloquentia fusius expo-  
 nebat, ratas habuit Imperator, ea ta-  
 men lege, ut Argentinenses cum suo  
 Episcopo concordix pacta inirent, si ve-  
 ro cum illo convenire non possent, pe-  
 nes Cæsarem sit hujus litis decisio:  
 cum autem Episcopus ex Limpurgen-  
 sium Familia in Franconia ortus, pri-  
 mo sese duriozem monstraret, tandem  
 utrinque arbitros seligere oportebat, ex  
 quorum sententia urbis Senatus tres Ec-  
 clesiasticos in suam fidem, ac tute-  
 lam recepit, eo tamen pacto, ut hi quot-  
 annis aliquam pecuniarum summam  
 penderent, hacque lege ab omnibus o-  
 neribus, atque exactionibus immunita-  
 tem redimerent. His ita stabilitis E-  
 piscopus vicissim, id efflagitantibus Pro-  
 fessoribus, cunctisque civibus in usum  
 Scholæ Collegium S. Thomæ, de quo  
 ingens fervebat controversia, unacum  
 reliquis Templis Senatui cedere jube-  
 batur.

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

Sæcul. XVI.  
A.C 1548.*Ulmenses ad recipiendum INTERIM  
a Cæsare sollicitati.*

Post hæc Imperator Ulmam petit, Se- *Steid. l. 21.*  
 natum abrogat, novumque instituit, *p. 743.*  
 ac Protestantes Ministros, eo quod Reli-  
 gionis decretum acceptare recusassent,  
 custodiæ dari præcipit, eo potissimum  
 nomine, quod hujus Urbis Senatus om-  
 nino Cæsari addictus, hoc idem decre-  
 tum jamjam recepisset. Hos inter  
 Ministellos præcipuus erat Martinus  
 Frechtus Heidelbergensis Professor, qui  
 postea Anno Domini quingentesimo vi-  
 gesimo octavo supra millesimum Ulmæ  
 Lutheri hæresin sermonibus suis divul-  
 gabat. Porro durantibus Augustanis  
 comitiis Ulmensis Senatus ad Granvel-  
 lani preces a Frechto petierat, ut Au-  
 gustam delatus Religionis negotio ad-  
 laboraret, hancque in rem Phlugium,  
 Sidonium, & Islebium accederet: Ille  
 autem, quod rem sibi suspectam habe-  
 ret, & nullum e reliquis civitatibus  
 Ministrum Protestantem cerneret, eo iræ  
 recusat: Ubi vero Cæsar Ulmam venit,  
 Senatus Frechtum, ceterosque Mini-  
 stros convocat, eosque, quid de decre-  
 to sentirent, edicere jubet: hi mox,  
 quid in hoc *Interim* probarent, quidve  
 rejici-

Sæcul. XVI. A.C. 1548. rejicerent, exponunt: interrogati autem, cur non & ipsi imitarentur Augustanos Præcones, qui hoc decretum jurata fide receperunt, ac nihilo fecius libere eorum sectam profitentur, ad hæc responderunt Ulmenses Ministri: (\*) *Nobis non constat, quid illi fecerint, neque nostrum est, alieni facti rationem reddere: nos quidem initio, cum ad Ecclesiæ ministerium adhiberemur, fide ipsis data promissimus, quod doctrinam Evangelii pure, ac incorrupte annuntiare velimus, sine traditionibus hominum: si nunc senatus eam rationem non probet, petimus, ut jusjurandum nobis remittat.* His dictis abire jussi sunt.

## §. XXXV.

*Ministri Ulmenses, exceptis duobus morem gerentibus, custodiæ dati.*

*Sleid. p. 747.* Hisce Ministris post meridiem revocatis nonnulli Deputati hæc significabant: *Captivos vos hodie Cæsar coram se*

---

(\*) Verius respondissent, quod Lutheranz sectæ genium, ac conditio ea sit, ut pro diversa temporis, loci, & privati commodi ratione, ac circumstantiarum vicissitudine sectam suam in præcipuis etiam articulis immutari, diminui, & augeri patiatur.

se sisti jubet, moxque ad ejus traducemini  
 palatium, rogate Deum, ut vos spiritu suo  
 gubernet. Hi isto nuntio parum territi  
 respondunt: quoniam ita visum est Deo,  
 non recusamus ullum periculum: his dictis  
 bene sibi invicem precabantur. Ergo  
 ad palatium deducuntur, ibidemque diu  
 expectare coacti, confluyente jam ingenti  
 populi multitudine abstrahuntur ad  
 Georgii Bessereri Viri consularis ædes,  
 in quibus Granvellanus, & Atrebaten-  
 sis Episcopus ejusdem Filii conversa-  
 bantur, qui hosce Ministros ad faniora  
 consilia reducere nitebantur, ubi vero  
 post crebras altercationes ultro, citro-  
 que habitas illos ad acceptandum Cæ-  
 saris edictum inducere desperarent,  
 mox catenis vinctos ad publicos car-  
 ceres deduci jusserunt, sub valido Hi-  
 spanorum, ac Germanorum præsidio,  
 quibus Joannes Comes Nassovius præ-  
 erat. Ex hisce Ministris duo sese sub-  
 jecerunt, decretum hoc recipientes.  
 Porro cum Frechtus in custodiam ab-  
 stractus domum suam pertransiret, Fra-  
 trem suum, qui forte per fenestras pro-  
 spexerat, allocutus est, eidemque ux-  
 oris suæ, ac rei domesticæ curam com-  
 mendabat, cum autem ille Frechtum  
 ad constantiam animaret, confestim &  
 ipse in carcerem ducebatur. Hæc ge-  
 sta fuere die decima sexta Augusti, ca-  
 ptivi

Sæcul XVI.  
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI. ptivi autem nonnisi per quadriduum in  
A.C. 1548. carcere detenti fuerant, & quinto die,  
 quo Cæsar illinc abibat, una omnes  
 vinculis soluti curru imponebantur, ac  
 circiter ducentis militibus Hispanis sti-  
 pati Kirchenum deducebantur, ubi o-  
 cto ferme diebus in Alegii Germani  
 Belliducis potestate relictis, tandem  
 Madronio Hispanorum centurioni in  
 custodiam dati sunt. Post hæc Impe-  
 rator exeunte Mense Augusto Ulma  
 Spiram venit, ibidemque duodecim illa  
 belli tormenta recepit, quæ Argenti-  
 nenses Cæsari tradere promiserant. E-  
 xiguo post temporis spatio Spiræ sub-  
 sistens Imperator, Moguntiam conten-  
 dit, ubi secundo flumine Rheno vectus  
 in inferiorem Germaniam descendit, ac  
 Saxoniam Ducem, necnon Hassiæ Land-  
 gravium diversis navibus impositos se-  
 cum captivos abduxit.

## §. XXXVI.

*Diversæ inter Lutheranos factiones  
 ex decreto Interim conflata.*

*Spond. ad* Hæc demum fuere oppositiones, qui-  
*hunc ann. n. 8.* bus decretum *Interim* per univer-  
 sam Germaniam impugnabatur: verum  
 id ipsum novas insuper dissensiones  
 inter ipsos Lutheri sectatores concita-  
 bat; nam eorum nonnulli illud acce-  
 ptan-

ptandum, alii econtra rejiciendum con-  
 tendebant, nec deerant non pauci, qui  
 rigidi Lutherani appellari gestientes, nec  
 in minimo articulo a Lutheri doctrina  
 dissentiendum esse prædicabant, alii ve-  
 ro ejusdem Sectæ alumni *Adiaphoristæ*,  
 seu *Indifferentes* vocabantur, eo quod le-  
 gitimas Ecclesiæ, & Conciliorum Con-  
 stitutiones, cæremonias, Baptismum  
 parvulorum, jejunia, orationes, aliosque  
 ritus, ac Religionis exercitia ejusmodi  
 conditionis esse dicebant, ut absque æ-  
 ternæ salutis discrimine unicuique libe-  
 rum esset hisce sacris uti, vel non uti,  
 nec propterea ulla essent obeunda pericu-  
 la, fatiusque esse affirmabant, ejusmodi  
 legibus uti pacis, tranquillitatisque caus-  
 sa, quam renitendo turbas, ac tumultus  
 suscitare. Inter illos autem, qui *Interi-  
 mistæ* dicebantur, erant Philippus Me-  
 lanchton, Paulus Eberus, Georgius Ma-  
 jor, aliique Ministri Wittembergenses,  
 qui Confessionem Augustanam, Lutheri  
 libros, nec non ipsummet *Interim* Cæsa-  
 reum multis in locis correxerunt, immu-  
 tarunt, ac suppleverunt, vel prout eo-  
 rum adversarii ipsis objiciebant, omnino  
 everterunt, ac perverterunt. Horum An-  
 tagonistæ longe acerrimi erant Matthias  
 Flaccus, Nicolaus Gollus, Amsdorffius,  
 aliique, qui *Adiaphoristas* accusabant  
 fallaciæ, ac dissimulationis, eosque ha-  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Qq rum*

Sæcul. XVI;

A. C. 1548.

Lab. Coll. B.  
 Com. Tom. 14.  
 p. 166.  
 Dupl. B. 101.  
 des. Hist. to.  
 14. p. 166.

Sæc. XVI.

A C 1543.

rum artium subsidio ita rem agere agebant, ut tandem Pontificiam doctrinam restituerent. Præter hæc factiones alia adhuc erat, quæ inter hæc duas mediam quasi viam tenere gestiebat, atque hujus ipsius sectatores rursus in duas scindebantur sectas, quarum primi vocabantur *Cæsarei*, qui in nullo articulo se Lutheranos profitebantur præterquam in usu calicis, & Sacerdotum conjugio; alii vero vocabantur *Intermistæ Lipsienses*, qui pro suo arbitrato doctrinam Lutheri cum Catholicorum dogmatibus commiscebant.

§. XXXVII.

*Concilium Augustanum a Cardinale Ottone celebratum.*

*Lab. Collect.*  
*Conc. tom. 14*  
*p. 566.*  
*Dupin. Bibl.*  
*des Aut. to.*  
*14. p. 202.*

Ceterum Reformationis decretum, cuius supra meminimus, minus acriter fuerat impugnatum, quinimo ad illius exemplum plures instituebantur Provinciales Synodi, quarum duæ hoc anno fuerunt celebratæ, quas inter prima erat Augustana Synodus sub Ottone Cardinale hujus Provinciæ Episcopo Dilingæ ad Danubium in ejusdem Metropoli celebrata. Hæc die secunda Mensis Novembris cæpta nonnisi ad tertiam diem protracta fuit, eique initium fecit Martinus de Olave Theologus Hispanus,

spanus, ac Cæsaris Sacellanus, qui habuit orationem in hæc verba ex Actibus Apostolorum capite vigesimo deprompta, ubi D. Paulus dixit: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo:* Huic Synodo præfuit Augustanus Episcopus, unacum solo Nazianzeno Episcopo, qui Cardinalis nomine in Diœcesi Episcopalibus Officiis fungebatur. Aderant quoque nonnulli Abbates, Præpositi, Decani, & Capitulorum Canonici, Parochi, Vicarii, aliique Presbyteri. Porro prima Sessio hora habebatur septima matutina die duodecima Novembris, qua ipsemet Cardinalis rem divinam in Ecclesia Cathedrali peregit, eaque finita totus Clerus solemni supplicatione Dilingam processit. Absoluto sermone Cardinalis præcipuas convocandæ hujus Synodi causas paucis exposuit, atque omnes hortatus est, ut præsens Synodi negotium cum ingenti Religionis studio, atque animo a sequiori affectu remoto pertractare velint. His dictis Joannes Albertus Widmanstetter Ordinis S. Jacobi Lusitani Eques, Jurisconsultus, ac Cardinalis Cancellarius Cæsareum Religionis decretum in comitiis Augustanis receptum prælegit, eoque absoluto congregati domum recedere iussi,

Q q 2 Car-

Sæcul. XVI.

A.C. 1548.



Sæc. XVI. Cardinalem ad suum Palatium dedu-  
 A.C. 1548. xerunt.

## §. XXXVIII.

*Hujus Synodi Statuta de refor-  
 matione.**Labb. l. c.*

**H**ora diei tertia pomeridiana unao-  
 mnes in eadem aula convenerunt,  
 moxque Cancellarius Synodum brevi  
 oratione adhortatus est, qua finita con-  
 festim triginta tres articuli prælegeban-  
 tur, in quibus varia erant statuta circa  
 disciplinam, ac mores, & quidem in pri-  
 mo juxta sacræ Sedis traditionem expo-  
 nebatur Ecclesiæ doctrina circa SS. Tri-  
 nitatem, Christi incarnationem, alios-  
 que fidei articulos. In secundo acce-  
 ptabatur Caroli V. decretum *Interim*,  
 nec non aliud de reformatione, ibidem-  
 que agitabantur alia reformationis ca-  
 pita a Laurentio Campegio Cardinale,  
 sedisque Apostolicæ Legato Anno Chri-  
 sti millesimo quingentesimo vigesimo  
 tertio in comitiis Ratisbonensibus con-  
 dita, simulque præceptum est, ut omnes  
 Diocesani his decretis sese subjicerent.  
 In tertio agitur de electione Episcopi  
 Augustani, ac sancitur, ut deinceps nul-  
 lus eligatur, nisi sit Presbyteratus Or-  
 dine insignis, aut saltem se eundem sa-  
 crum Ordinem sine ulla tergiversatio-  
 ne suscepturum promittat. Quartus  
 arti-

articulus ita decernit: *Ad Ecclesiasticas dignitates, animarum curas, aliaque beneficia ad nostram dispositionem, seu approbationem pertinentia, nullus posthac coadjutor, vel resignatarius, nisi examinationis testimonio subnixus fuerit, a nobis aut Vicario nostro in spiritualibus admittetur.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

Quinto dotes, quibus sacris Ordinibus initiandi debent esse præditi, præscribuntur, ibique dicitur: præcipimus, ut ordinandi super hæresibus hoc tempore jactatis, quid de illis, & contra, quid de Romana Catholica & Apostolica Ecclesia sentiant, diligenti examinatione probentur. Deinde, ut nullus ordinetur, nisi qui publicum a primario Sacerdote, vel magistratu patriæ suæ, aut ejus loci, ubi majorem vitæ suæ partem exegerit, de vita ejus, & moribus probatis, testimonium literis consignatum attulerit; qua in re primarii Sacerdotis, seu magistratus, & testium conscientiam oneramus. Ad hæc, ut ordinandi scientia explendis saltem Ecclesiæ ministeriis sufficiens, non titulis, sed diligenti constet examinatione. Eandem quoque rationem in his, qui ad prælaturas admittendi, & ad Ecclesias parochiales provehendi sunt, volumus haberi, atque ad parochiales Ecclesias quemquam, nisi populum docere, & velit, & sciat, nolumus admitti. Postremo neminem ad prælaturas, aut Ecclesias parochiales sive per electionem, sive per inferiores

Sæcul. XVI  
A. C. 1548. collatores, aut patronos designatus fuerit, prius investiiri, aut ad Ecclesiæ munera subeunda admitti debere, nisi examini satisfecerit, & vocationi suæ satisfacturum se pro viribus pollicitus fuerit; statuimus, atque mandamus. Ætatem etiam ordinandorum, secundum laudabilem Ecclesiæ nostræ morem, hæcenus introductum, & servatum, deinceps quoque observari præcipimus: pro examinatione vero nullam ab his, qui a nobis deputati ad hoc fuerint, pecuniam exigi debere præcipimus.

VI. Ignotos, atque vagos sacerdotes, & monachos, absque Prælatorum suorum testimonio seu formatis, multoque minus suspectos de fide, aut flagitiosos Sacerdotes, vel monachos seu fratres fugitivos, ad confectionandi, sacraque peragendi officium nusquam in nostra diœcesi admitti, nec peregrinos, & ignotos presbyteros in consortio aliorum Presbyterorum tolerari, vel ad Missarum Sacrificium, nisi sui ordinarii, e cuius diœcesi proxime discessit, literas de eorum Ordinibus, & honestate docentes ostenderit, & a nobis, vel nostro in spiritualibus Vicario admissorias habuerint, admitti debere præcipimus.

VII. Quos Græci Chorepiscopos, hoc est, certarum regiuncularum in qualibet Diœcesi speculatores, alii Archidiaconos, alii Archipresbyteros vocant, in nostra Ecclesia cathedrali, quoad certum districtum mænis

Augu-

*Augustanæ Civitatis adjacentem Archidia-* Sæcul. XIV.  
*coni, in reliqua vero Diœcesi Decanorum ru-* A.C. 1548.  
*ralium nomine censentur.*

*Hi diligenter Ecclesiis Parochialibus invigilent, ac senis quibusque mensibus sui districtus Ecclesias visitent, nec in templis picturas, aut imagines depingi patiantur, atque in inquirendis hæreticorum libris nullam diligentiam prætermittant, Ecclesiis autem Parochialibus de Romanæ Ecclesiæ ritualibus provideant.*

VIII. *Parochi de fide, & Religione nostra populum sibi commissum doceant, atque instruant, sacramenta administrent, eorum mysticam gratiam exponant, publicis peccatis irretitos canonice, occultis vero delictis occulte arguant, & ad pœnitentiam adducant. Incorrigibiles nobis, aut nostro in spiritualibus Vicario indicent, ut vel publica satisfactione curentur, vel communione Catholica arceantur: parvulos quoque, & rudes quosque parochiæ suæ doceant certis temporibus symbolum fidei, Dominicam præcationem, salutationem Angelicam, & decalogi præcepta.*

*Quoniam autem interesse plurimum constat, qua ratione pueri, & rudes catechizentur, parochis nostræ Diœcesis catechismum, sive libros de institutione Christiani hominis reverendi Patris Domini Petri de Soto ex Prædicatorio Ordine, Theologi Hispani, & Cæsareæ Majestatis Confessoris doctissimi,*

Sæcul. XVI & religiosissimi Viri legendos, docendosque  
 A.C. 1548. commendamus.

IX. Decanus Collegii sui Clericos, & familiam in officio quemque suo contineat, exemplo alios præcedat, vitæ, morumque honestatem in habitu, & disciplina, debitumque fervorem in divinorum officiorum per solutione, & cæremoniis exigat, ebrios, aleatores, percussores, scortatores, & Officii sui immores corripiat, sacris abigat, & pro jure sibi competenti mulctet. Scholastici Ecclesiæ nostræ dignitate, aut titulo eminens, juventutem Ecclesiæ ministeriis destinam, doctrina, pietate, & morum honestate imbuat: aut per idoneos, & probos pedagogos institui curet.

Studiosis quoque aliquibus, bonamque de se spem præbentibus Decanus, & Collegium provideant, ut justo studiorum suorum tempore, justisque sumptibus in academiis & catholicis universitatibus sustententur.

Canonici etiam juniores Theologum, qui in singulis Collegiis frequentioribus haberi debet, lectionem suæ professioni, & institutioni congruentem, certis horis, quemadmodum & vicarii, aliaque Collegiorum membra facere tenentur, prælegentem auxiliant.

X. Clerus nostræ Diocesis in habitu, coronæ tonsura, & incessu decorem servet, superiori veste talari indutus, atque pietate magis venerabilis, quam aut famulorum multi-

multitudine, aut vano armorum terrore con- Sæcul XVI.  
temptibilis incedat. Mensa quoque utatur A. C. 1548.  
frugali, & ab ebrietate, ludis a jure pro-  
hibitis, atque omni ludicra levitate abstineat,  
luxum omnem fugiat, mercaturæ, aut cau-  
ponario exercitio, avaritiæ sordibus, sor-  
tilegiis, divinationibus, venationibus cla-  
mosis, omnibusque profanis negotiis, & a  
quibus cura sacerdotalis merito abhorret,  
prorsus alienus existat. Hospitia quoque  
publica, tabernæ, aut ænopolia comptandi  
caussa non ingrediatur.

Decernimus etiam, ut Sacerdotes caste,  
continenterque vivant, nullasque fœminas  
nisi aut sanguinis necessitudine junctas, aut  
æmorum quadragenario numero majores,  
aut saltem suspitione carentes in illa vicinia,  
easque verecundas, sobrias, & publico te-  
stimonio castas liceat cohabitare.

XI. Quicumque plura beneficia obtinent,  
jubentur, ut retento, quod ex illis malue-  
rint, unico beneficio, cætera intra annum  
resignent, aut nobis, vel deputatis ad hoc  
nostris dispensationum suarum privilegia hu-  
jusmodi ostendant.

Si qui vero posthac Sedis Apostolicæ di-  
spensatione plura beneficia obtinuerint, no-  
bis tanquam Ordinario loci dispensationis  
ejusmodi literas prius exhibeant. Et si quis  
dispensatione dignus videbitur, nihilominus  
statuimus, ut tales, aut alii quicumque Ec-  
clesiarum rectores, & beneficiati vicariis

Sæcul. XVI. A.C. 1548. *suis tantam ex fructibus portionem relinquant, quanta ad hospitalitatem servandam, ad jura Episcopalia, & Archidiaconalia persolvenda, aliaque onera ferenda sufficiat, alioquin a suis beneficiis, reservato tamen unicuique Patrono, aut Collatori jure suo, decernimus amovendos.*

*Religiosos vero beneficiorum hujusmodi curæ a suis Prælati præfectos, non obstante eorum qualicunque exemptione, volumus nobis tanquam Ordinario esse subiectos.*

XII. *Monasteria cujuscunque Ordinis, secundum regulas, quas professi sunt, reformari, ipsosque monachos in obedientia, & Religione sui Ordinis contineri volumus, ac jubemus impudicos, ebrios, suspectos de hæresi, aliisque criminibus pœnis debitis castigari: Intermissa quoque sacrarum literarum studia intra sex mensium spatium restaurentur, ædificia, & Bibliothecæ studiose curentur: Moniales ab egressu monasteriorum suorum, virorumque conspectu se contineant, earumque monasteria viri non ingrediantur, nisi id postulet inevitabilis necessitas. Canonissæ continentie studium nulla voti solemnitate obstrictum sectantes, commune habeant dormitorium, habitu modesto, mundo, & castitatis indice utantur.*

XIII. *Concionator Evangelium, & sacras Scripturas non suo, sed Orthodoxorum, & sanctorum Patrum sensu, & interpretatione tractet, ac doceat. Homilias Sancto-*

*Sanctorum Patrum, & Martyrum passio- Sæcul. XVI.  
nes, a fide dignis tamen Scriptoribus pro- A C. 1548.  
ditas, post Evangelia statis diebus poterit  
recitare: in Concione nihil profani, fabulo-  
si, suspective proferatur, sed sint Concio-  
nes sanorum verborum, & sanæ doctrinæ  
Concionator se ad captum auditorum dimit-  
tat: nunc Catechistam agat, nunc interpre-  
tem Scripturarum, nunc vitiorum repre-  
hensorem, nunc Doctorem mysteriorum,  
omniaque, ad lucrum Christo afferendum,  
omnibus fiat: & a quæstionibus perplexis,  
& difficilibus, omni eruditionis ostentatione  
rejecla, abstineat, caveatque, ne se unquam  
ad convitia, injuriasque, quibus Ecclesia  
cum populi offendiculo dehonestatur, delabi  
contingat.*

*Sed sit ejus oratio modesta, sobria,  
gravis, & verbi divini nervis compacta,  
qua potens sit exhortari in sana doctrina,  
& eos, qui contradicunt arguere. Mi-  
sericordiam, bonitatem, & charitatem Dei  
opportuno tempore prædicet, & extollat,  
ita tamen, ut justitiæ ejus in benefactorum  
proemiis largiendis, malefactorumque pænis  
infligendis non obliviscatur, ut dubitantes,  
& anxii, spe, & amore divino inflammen-  
tur, vel a peccatis deterriti resipiscant, ad E-  
leemosynas, satisfactiones, & opera pieta-  
tis inducat. Adversus grassantium hæresum  
tempestates populum præmoneant sæpe, &  
conferment.*



Sæcul. XVI. XIV. *Divinus cultus observetur, per-  
A.C. 1548. agaturque his modis, & ritibus, qui per  
manus sanctorum Patrum nobis traditus, &  
per majores nostros in Sacrificio Altaris,  
Officiis defunctorum, Canonicis, ceterisque  
divinis laudibus, atque cæremoniis observa-  
tus fuit.*

XV. *In administratione, usuque Sacra-  
mentorum, ut confusio, & schismata in Ec-  
clesia Dei vitentur, & Apostolicis traditio-  
nibus, sacrisque Canonibus, & Legibus re-  
verentia debita habeatur; cæremoniarum,  
orationum, rituumque receptam uniformita-  
tem Parochos nostros in omnibus sequi vo-  
lumus, atque jubemus. Volumus etiam po-  
pulum, quid in cujusque Sacramenti collatione  
agatur, in concionibus & Sacramentorum  
administratione frequenter doceri. Lingua  
latina, cui veluti divino instrumento in ip-  
sa crucis ara sacris usibus dedicato, Ecce-  
lesia occidentalis Religionem Christianam fert  
acceptam, in Sacramentorum administratio-  
ne, aliisque Ecclesiasticis Officiis per totam  
nostram Diocesim retineatur.*

XVI. *Solemnes Cæremoniæ, & Ora-  
tiones circa Baptismum hætenus in Ecclesia  
Catholica usitatae, & in agendis Ecclesiæ  
nostræ descriptæ, nisi necessitas illud cogat,  
non omittantur, quarum significationes po-  
pulo sæpius exponi mandamus; ut professio-  
nis suæ, qua Christo initiatus est, admonea-  
tur. Susceptores quoque, seu sponsores  
par-*

parvulorum, ætatis provectæ sint, atque in Sæc. XVI.  
 fide probe catechizati, & instructi, quo non A.C. 1548.  
 ore tantum, sed & mente, & serio ad in-  
 terrogata respondere, suum munus intelligere,  
 & parvulos, ubi adoleverint, & res  
 postulaverit, in fide Orthodoxa instruere  
 possint: ætate vero, aut fide nondum pro-  
 vectos, ad tantum munus admitti non debe-  
 re, & ipsa ratio suadet, & nos præcipien-  
 do decernimus.

XVII. Parochi suo tempore de Confir-  
 mationis origine, mysterio, & Chrismatis  
 arcano subditos sibi doceant, eosque ad ejus  
 desiderium accendant.

XVIII. Canon Missæ submissa voce,  
 excepta Dominica oratione, pacis exopta-  
 tione, Dei invocatione, & postrema populi  
 salutatione, quemadmodum hætenus a Ca-  
 tholicis factum est, summaque Religione, ut  
 mysteriis tremendis sua conferatur auctori-  
 tas, pronuntietur: reliquæ vero Missæ, quæ  
 Catechumenorum dicitur, partes debita Re-  
 ligione, & voce alta, intelligibilique legan-  
 tur, adsitque semper legenti minister, qui  
 Ecclesiæ nomine respondeat sacrificanti. E-  
 vangelia, vel Epistolæ Dominicis, & festis  
 diebus in parochialibus Ecclesiis populo, si-  
 ve ante sacrum, sive sub eo, sive etiam a  
 prandio, quod tempus Epistolæ declaratio-  
 ni non incommodum videretur, lingua ger-  
 manica exponantur, eoque tempore nulla  
 Missa,

Sæcul. XVI. Missa, ne populum ab auscultatione distra-  
A. C. 1548. hi contingat, celebretur.

Organa ad populi aures nullum alium sonitum, aut numerum deferant, quam qui religiosus, ac pius ab omnibus habeatur. Sub elevatione sacræ Hostiæ antiphonæ ad hoc Sacrificium tantum pertinentes cantentur: quamquam melius, & veteri Ecclesiæ convenientius esset, præsentiam Domini Corporis in altissimo silentio prostratos contemplari.

Eadem Hostia vitalis si in solemnibus festivitatibus, aut magnis supplicationibus circumfertur (quod nisi ex Catholico instituto, aut gravi causa præsentibus devotis cultoribus, fieri non debet) quidquid veram devotionem non excitat, ludique omnes profani removeantur, sed & quando ad infirmos defertur, lumen præferri, & campanella fidelibus signum dari præcipimus.

XIX. Refertur Canon, qui incipit: Omnis utriusque sexus, ac præcipitur, ut fideles constituto ab Ecclesia tempore confiteantur, atque ad sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem sese præparent, quam in rem Synodus Parochis injungit, ut hunc Canonem singulis Dominicis diebus jejunii verni promulgent: postea enumerat illos, quibus sacra Synaxis non administranda, aut saltem differenda est; hos inter recenset Synodus Judæos, Paganos, Hæreticos, ex-

com-

communicatos, alienæ Parochiæ fideles, nisi sui Pastoris licentiam habeant, Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.  
infantes infra annos discretionis, infames, Histriones, scorta, & Lenones, fœminas virilem habitum maligno animo gestantes, superstitioni deditos, in peccatis obstinatos, ebrios, usurarios, Catechismi doctrinam ignorantés, decimas solvere renuentes, vel iniqua mensura, aut pondere vendentes, & eementes. Denique prohibet, ne Sacerdotes pro confessionibus pecunias recipiant.

XX. Articulus loquitur de modo administrandi Sacramentum extremæ Unctionis.

XXI. Inquit Concilium: *Sacerdoti nuptias alibi, quam in Ecclesia, quæ proprius est Sacramentorum locus, admittere, conjungere, aut benedicere prohibemus, vetamus etiam a Sacerdotibus eos conjungi, de quibus edictis, aut proclamationibus, ut minimum tribus, iisque tribus diebus festis sibi succedentibus, propositis, aut in Concione publice factis, non consliterit eorum conjunctionem nulla legitima, canonicave causa impediri.*

XXII. *Pro reconciliatione penitentium, aut alicujus Sacramenti, vel Sacramentalium quorumcunque administratione, sacerdos de pecunia, aut re qualibet sibi danda minime paciscatur, sed eadem pro temporis, loci*

Sæcul XVI. loci, personarumve necessitate, secundum ritum Ecclesiæ, sine mora administret.

XXIII. Prælatos nostræ Diœcesis, Virgines, Ecclesias, Altaria, Cæmeteria consecrari; sacra loca quocunque modo exsecrata reconciliari, vasa, vestesque sacras, aquam, sal, palmarum ramos, fructus, herbas, cereas, agnum paschalem, fructus novos, & quæ sunt talia, quæ de jure, vel consuetudine ante hanc Catholicæ Religionis perturbationem consecrari, aut benedici consueverunt, suo quæque tempore, & loco, suisque ritibus, & orationibus per totam nostram Diœcesin benedici jubemus.

XXIV. De diebus festis feriandis nihil innovare volentes, præcipimus, ut festivitates Christi, ac beatæ Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum, juxta constitutionem, & Ordinationem per quondam felicitis memoriæ Christophorum Episcopum Augustensem prædecessorem nostrum, de super factas, & divulgatas, quarum tenor subinseritur, deinceps celebres habeantur. Postea Synodus hoc Decretum recitat Anno millesimo quingentesimo trigesimo nono editum.

XXV. Mandamus Plebanis Ecclesiarum Parochialium, ut non aliis, sed terminis hucusque in Germanica lingua usitatis, & quidem singulis diebus Dominicis, finita Concione, orationem dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, & Deca-

*Decalogi præcepta, distincte, ac tractatim* Sæcul. XVI. A.C. 1548.  
*ita prælegant, ut populus legentem repeti-*  
*tione subsequi, ea discere, & memoriæ man-*  
*dare possit.*

XXVI. Synodus condit varia statu-  
 ta pro Scholis, ac Collegiis, statuit-  
 que, ut nullus ad Scholas, & Gymnasia  
 de schismate, aut hæresi suspecta, nuper me-  
 natis de Religione perversis opinionibus con-  
 taminata, discendi, docendive caussa audeat  
 proficisci.

Insuper mandat, ut Scholis præfician-  
 tur Magistri, & Pædagogi incorruptæ vi-  
 tæ, a quibus tam pietatis Christianæ prima  
 principia, quam rudimenta literarum juven-  
 tus hauriat.

Honestos denique proventus illis,  
 qui juventutem literis imbuunt, desig-  
 nari præcipit, necnon innovat Concilii  
 Lateranensis Decretum de Capitulorum  
 studiis.

XXVII. Inquit: *Hospitalia nostræ*  
*Diœcesis conservari, redditus ad ea destina-*  
*tos in nullos alios usus converti, atque sicuti*  
*alienati, aut in privatos usus conversi fue-*  
*runt, revocari jubemus. Hospitalium, quo-*  
*rum fundatores sibi provisionem, ac dispen-*  
*sationem retinuerunt, administratores, sal-*  
*tem semel in anno provisoribus rationem*  
*reddant, quorum omnium curam, & inspe-*  
*ctionem præcipuam, nobis divino aspirante*  
*numine,*

*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. R r*

Sæcul XVI. numine, pro ordinaria nostra auctoritate  
 A.C. 1548 Sumemus.

XXVIII. Principes, ac Magistratus hortamur, ut invocati nobis, nostrisque Vicariis in exequendis hujus sanctæ Synodi Decretis auxilio sint: Jurisdictionem, libertatem, ac immunitatem Ecclesiasticam, Imperatorum legibus, & sacris Canonibus, Episcopis, & clero tributam, ac firmam tueantur, nobisque conservent.

Conveniat quoque populus diebus Dominicis, & festis ad divina, quæ in Ecclesiis celebrantur: Patres vero & Matres familias liberos, & familiam secundum audita in Concione domi instruant, timorem Dei, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta Decalogi, & quidquid pertinet ad bonos mores, & virtutem in eis educandam doceant.

XXIX. Monemus Abbates, Præpositos, Decanos, & clerum nostræ Diœcesis, nos hæc statuta synodalia ex sacre Cæsareæ Majestatis formula, sacrisque Canonibus, & Patrum, antecessorumque nostrorum decretis, & statutis, non ad ostentationem, sed ad indubitatam reformationem ipsorum, nostrique gregis, pro ipsorum temporum usu, atque necessitate collegisse.

XXX. Injungimus, ne divinam hanc censuram, qua nulla est major in Ecclesia, leviter, aut propter exiguas, parvique momenti

menti causas proferant, sed ut sanitatem *Sæcul. XVI.*  
magis, quam ad interitum contumacium, *A. C. 1548.*  
ac rebellium animorum respiciant.

XXXI. Statuit, ut Religiosi, qui semetiplos dicunt exemptos, Ordinariæ jurisdictioni subjiciantur (\*).

XXXII. Præcipit, ut omnes hujus Diocesis subditi pro summo Pontifice Paulo III. Cæsare, & Romanorum Rege, aliisque preces ad Deum fundant.

XXXIII. Denique Synodus inquit, quod ex Conciliis, si quotannis celebrentur, plena morum emendatio sperari valeat.

Perlectis omnibus hisce statutis ad alteram diem indicta est Sessio secunda, ubi Decanus Ecclesiæ Augustanæ ad SS. Trinitatem ritu solemniter sacrum decantavit, Cardinalis vero congregatos rogavit, ut ex Abbatibus, Canonicis, & Decanis ruralibus duos, vel tres nominarent,

R r 2

(\*) Observandum, quod ejusmodi canon nequaquam in actis hujus Concilii reperitur, sed in Canone XXXI. decernantur preces pro Cæsare, Romanorum Rege, & pro Papa fundendæ: in Canone autem XXXII. Synodus pœnas in horum statutorum transgressores decernit. Quo igitur consilio Continuator ejusmodi Canonem confingere voluerit, qualis tamen ne in ipso etiam statuto trigésimo tertio habetur, Lectoris judicio committimus.



Sæcul XVI.  
A.C. 1548.

rent, qui post maturam rei discussione-  
nem de iis, quæ emendanda essent,  
articulos conscriberent, simulque que-  
relas exciperent, quæ forte contra E-  
piscopum, ejusque Ministros deferri pos-  
sent. His addidit Cardinalis *paratum*  
*se esse ad audiendum tranquillo animo singu-*  
*la, & ad obtemperandum monitis salutaribus*  
*sancæ hujus Synodi in Spiritu sancto*  
*congregatæ.* Cum autem nemo unus  
quicquam moveret, collectis omnium  
suffragiis Synodi statuta communi cal-  
culo fuere approbata. Idem quoque  
post meridiem fuit propositum, simul-  
que excipiebantur querelæ contra Cle-  
rum delatæ, quæ tamen admodum le-  
ves erant, nihilominus magis ampla ha-  
rum inquisitio ad aliud tempus differe-  
batur.

Die decima quarta Novembris ter-  
tia habebatur Sessio, cui datum est ini-  
tium solemnæ sacre de B. Virgine de-  
cantato, quo absoluto Deputati relatio-  
ne facta statutis pridie prælectis nihil  
addendum censebant. Post hæc rursus  
Cardinalis quosdam seligi petiit, qui  
in ipsum, ejusque Ministros inquirerent,  
ac monerent, si quid in illis emendan-  
dum deprehenderent. Verum Synodus  
communicatis inter se omnium Ordinum  
consiliis respondit: *Se nil amplius in E-*  
*minentissimo Cardinale desiderare, nisi ut*  
*pro*

pro conscientiae suae ratione statutis hisce Sæcul. XVI  
 Synodalibus insistat, ac veluti lex animata A.C. 1548.  
 in Ecclesiae suae cardine eminens cetera mem-  
 bra in officio contineat. His absolutis pro-  
 xima Synodus ad diem primam Septem-  
 bris Anni supra milleimum quingente-  
 simi quadragesimi noni indicta fuit, &  
 postmodum Cardinalis omnibus congre-  
 gatis grates rependens Deum omnipoten-  
 tem supplex rogavit, ut sibi in explendis,  
 exequendisque hujus Synodi constitutionibus  
 divino suo lumine assistere dignaretur. His  
 dictis soluta fuit Synodus.

## §. XXXIX.

*Concilium Trevirense.*

Sub idem tempus Joannes de Isenburg Labb. collect.  
 Trevirensis Archiepiscopus die vige- Concil. t. 1 d.  
 sima quinta Novembris pro restauranda p. 606. & seq.  
 disciplinæ, ac morum integritate aliud Dupin. Bibl.  
 celebravit Concilium, illudque diplo- des Auth. to.  
 mate Witlichii edito ad diem trigesimam 14. p. 204.  
 Octobris indixit. Igitur præstituta die  
 Archidiaconi, Abbates, Præpositi, Ar-  
 chipræsbyteri, Decani, alique Eccle-  
 siastici in Ecclesia Cathedrali conven-  
 erunt, præeunte ipsomet Archiepiscopo,  
 qui a Nicolao Azotensi Episcopo suo in  
 Pontificalibus Vicario stipatus ac con-  
 gregatis ritu solemni bene precatus est,  
 necnon precibus de more persolutis in

R r 3

me-

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

medium chori progressus cunctos præfentes pia, ac gravi oratione admonuit, ut omnem operam suam in salutarem Trevirensis Ecclesiæ emendationem conferrent. Absolutis hisce solemnibus Pelargus Doctor erudito sermone Clerum hortabatur, ut ferventibus in Germania tumultibus ex nova hæresi fulcitatis ipsi in fide constantes, atque immoti persisterent, & Diocesim hanc errorum veneno infici præpedirent. Absoluta hac Oratione Patres instructo supplicum ordine ex Ecclesiæ Cathedralis choro ad vicinum B. Virginis Templum processerunt, occupatisque sedibus suis Archiepiscopi jussu Vicarius Generalis quæstiones circa doctrinam, mores, ac disciplinam pertractandas proposuit, cunctosque hortatus est, ut ipsimet omnibus bono exemplo præluceant. Placuit cunctis propositum emendationis schema; mox vero Azontensis Episcopus Trevirensis suffraganeus hæc subjunxit: *Non sine divina benignitate factum esse, credi oportet, quod post tot præclarissimarum regionum concussiones, post tantas templorum, ædiumque insignium, atque monasteriorum ruinas, quibus civitatum, provinciarumque ornamenta, & decus continentur, post tot Religionis miserandas strages, Trevirensis Ecclesiæ bonorum precibus, & sanctimonia, Pa-*  
trum

*trum cura, Pastorum excubiis, veterem, & Sæcul. XVI. ab Apostolis pæne traditam formam ad A.C. 1548. hæc usque tempora inviolabiliter retinuerit.*

Postea idem Suffraganeus Patres rogabat, ut de omnibus, quæ ejus officio, quo Archiepiscopi nomine fungeretur, dedecori esse potuerint, illum admonere velint. Ad hæc Patres uno ore responderunt, nihil aliud accusatione dignum in eo reperiri, nisi quod in conferendis Ordinibus intervalla a jure, sacrisque Canonibus sancita non observasset: ast ille summa cum moderatione legitimas exposuit causas, ob quas quandoque a legis præscripto recedere, necessitate compulsus fuerit.

His peractis prælectum fuit diploma ad omnes Abbates, Præpositos, Priores, Decanos, Parochos, aliosque Trevirensis Diocesis Ecclesiasticos directum, in quo hi omnes Synodi Decreta, seu statuta ad effectum deducere rogabantur. Porro Decreta erant sequentia, eorumque primum agit de Clericorum temulentia, quam Synodus *tetrum, ac tam in profanis, quam in Sacerdotibus abominabile vitium* appellat. II. Declamat contra Clericos concubinos. III. Præscribit poenas illis infligendas. IV. Loquitur de concubinis, quæ a crimine resipiscentes ad suos parentes, vel sibi sanguine junctos redire

Sæc. XVI. A C 1548. desiderant. V. Decernit circa concubenarios, qui a peccato recedentes, rursus in idem crimen relabuntur. VI. Damnat Presbyteros, & Laicos, qui Magicis artibus, ac superstitionibus utuntur. VII. Agit de Apostatis. VIII. De Patronis Apostatarum. IX. De iis, qui contra solemne Castitatis votum connubio sese jungunt. X. De examine eorum, qui ad S. Ordines, vel admittendi, vel excludendi sunt. Præsertim hisce statutis adjungebantur quædam monita ad Clericos, necnon aliud edictum Electoris Archiepiscopi contra concubenarios, quos officio pariter, & beneficio submovendos præcipit. Denique soluta fuit hæc Synodus addito decreto in eos, qui violata Ecclesiastica libertate Ecclesiæ jura invadunt, aut ipsius Cleri privilegia perturbant, quos Synodus tanquam sacrilegos severe puniendos declarat.

## §. XL.

*Papa Legatos in Germaniam decernere a Cæsare rogatus.*

*Pallao hist. Conc. Trid. l. II. c. I. n. 8.* Cum interea summus Pontifex Sfondrato Cardinali negotium dedisset, ut Cæsare ad mitiora inclinato inde abiret, Carolus ad Augustani Cardinalis, aliorumque Præsulum preces Mendozam ad

ad Papam ablegavit, supplex, ut qui-  
 dam sacræ Sedis Legati in Germaniam  
 decernerentur, quorum ope Religionis  
 studium, atque avitum in Sedem Apo-  
 stolicam obsequium conservaretur: Ad  
 hæc reposuit Pontifex: *mirum plane  
 est, id mihi post Decreti Interim promul-  
 gationem proponi, cum obstructus illorum  
 opere aditus videatur. Et per eam occasio-  
 nem merito conqueri possum id accidisse, post-  
 quam Sanctacrucius Nuntius illuc pervene-  
 rat utracum promissis meis eo mittendi Præ-  
 sules, ad illa negotia delegandos, Et quo  
 tempore nulla Cæsar premebatur necessitate  
 stabiliendi decreta, ut Comititia absolveret;  
 quippe diu postea persisterant, Et adhuc per-  
 stabant. Præterea Patres Bononienses gra-  
 vibus agitantur curis ægre ferentes, diu-  
 tius se non in Concilio, sed in quodam exilio  
 commorari; unde enixe postulant, ut in  
 translationis causa sententiam feram, ac  
 certe aut manus, aut pedes ipsis solvam:  
 Ast ipse ego gravius conqueri possum, dum  
 tantam Cæsarum rationem habuerim, adeo  
 male tamen mihi repensum esse, spei Arding-  
 helle factæ in re Placentina operibus minime  
 respondentibus, nec satis roboris esse vide-  
 tur responsioni a Carolo redditæ, qua di-  
 xit: non prius privata, quam publica com-  
 ponenda, cum tamen Placentiæ restitutio  
 non privatim ad Farnesiorum familiam, sed  
 publice ad Sedem Apostolicam, imo ad præ-*

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI. sentem rerum publicarum statum pertineat:  
 A C. 1548. certe mihi nil magis hædenus nocuit, quam  
 quod nimiam in reſto Cæſaris animo fidu-  
 ciam collocarim; nam alioqui non incurriſ-  
 ſem communem reprehensionem, quod ea  
 omiſſem conſilia, mihi ab omnibus inſinua-  
 ta, quibus jam tum aut Placentiam mihi om-  
 ni jure debitam recuperaviſſem, aut certe Par-  
 mam, ejusque ditionem extra periculum  
 collocaviſſem.

## §. XLI.

*Episcopus Fanensis a Papa in Ger-  
 maniam miſſus.*

Pallav. n. 6.  
 § 9.  
 Sarpi l. 3.  
 p. 275.

Tandem Pontifex placatus Cæſaris  
 precibus detulit, Petrumque Ber-  
 tanum Fanensem Episcopum nomina-  
 vit, qui non modo summo Pontifici,  
 sed ipsi etiam Cæſari percarus, inſuper  
 Madrutio Cardinali acceptiſſimus erat.  
 Hic ineunte mense Junio iter aggressus,  
 ut omnem ſuſpicandi anſam ſubmoveret,  
 Bononiam præteriens ſtudioſe Monta-  
 num Cardinalem non acceſſit, illum  
 enim Cæſareis exoſum eſſe haud igno-  
 rabat. Hac de re Montanus apud Far-  
 neſium Cardinalem queſtus eidem hæc  
 ſignificabat; „ Tam indigna agendi ra-  
 „ tionem adeo imminuit, ut hi mea  
 „ monita flocci habere incipiant, cum  
 „ tamen

„ tamen nunc vel maxime augenda fo- Sæc XVI.  
 „ ret auctoritas, ut imminentem Syno- A.C 1548.  
 „ di dissolutionem præpedire valeam. „  
 Ceterum Fanensi Episcopo summus Pon-  
 tifex injunxerat, ut de singulis articu-  
 lis, quos Mendoza propoluerat, cum  
 Cæsare ageret, ac potissimum explora-  
 ret, num Legatos, quos Cæsar pete-  
 bat, in Germaniam mittere expediret,  
 illique salva dignitate sua cum prosperi  
 successus spe ibidem comparere possent.  
 Sub idem tempus Paulus III. Hierony-  
 mum Dandinum Foro-Corneliensem E- Pallav. n. 7.  
 piscopum tanquam Sedis Apostolicæ  
 Legatum ad Franciæ Regem decreve-  
 rat, specietenus quidem, ut is Horatii  
 Farnesii conjugium cum Diana Notha  
 Regis Filia procuraret, re tamen ipsa  
 id fiebat, ut de Synodi negotiis, nec-  
 non de fœdere cum Gallis ineundo age-  
 ret.

§. XLII.

*Montanus Cardinalis Bononiensi Le-  
 gatione auctus.*

Dum hæc interea gerebantur, Cardi- Pallav. l. II.  
 nales Gallici, quorum opera hoc c. 2. n. 2.  
 fœdus Papam inter, & Henricum II.  
 cudebatur, illi proponebant, haud ex-  
 pedire, quod Cardinalis Moronus tan-  
 ta auctoritate conspicuus, ac Romanæ  
 Urbi adeo vicinns Bononiæ relinque-  
 retur.



Sæcul. XVI retur, eo quod haud acceptus esset  
 A.C. 1548 Cæsari, ac tam animo, quam gene-  
 ris nobilitate eidem longe im-  
 par foret (\*). Pontifex horum monita  
 fecutus Morono in Legatione Bononi-  
 ensi Montanum Cardinalem subrogare  
 decrevit, cum hic in Gallos eo propen-  
 sior esset, quo durius a Cæsareis habe-  
 batur: aliunde etiam Papa ad hanc mu-  
 tationem inducebatur, ut per hujus  
 Legationis proventus Montano compen-  
 sare jacturam reddituum, quos olim ex  
 Papiensi Episcopatu perceptos, nunc  
 Gonzaga Mediolanensis Gubernator ei  
 interceptat: ut autem summus Ponti-  
 fex Morono vicissim illatum damnum  
 refarciret, partem aliquam proventuum  
 ex Legatione Bononiensi, aliamque por-

(\*) Graviter hallucinatus est Continuator, dum Gallicos Cardinales iniquo animo Moroni auctoritatem tulisse ex eo capite deducit, quod hic Cardinalis Cæsari acceptus non esset: manifeste igitur patet, quod Continuator latinum Pallavicini sensum non sit assecutus; hic enim loc. cit. ita habet, *Gallici Cardinales Paulo proponebant, in rem non esse, quod in tanta auctoritate, ac vicinitate Moronus perflaret, Cæsari & ortu & affectu obnoxius: quam diversa autem sint ea a Continuatoris narratione, nemo est, qui non perspiciat. (Suddito e amorevol di Cæsare.)*

portionem ex emolumentis, ut vocant, <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
*Dataria* assignavit. Pergrata etiam Mo- <sup>A.C. 1548.</sup>  
 rono accidebat hæc commutatio, eo-  
 quod voti sui compos jam esset, atque  
 ab omni fastidio, quod in præsentis re-  
 rum vicissitudine facile ex ejusmodi Le-  
 gatione enasci potuisset, sese exem-  
 ptum cerneret.

## §. XLIII.

*Cæsaris sollicitudo pro urgenda Sy-  
 nodi translatione.*

**I**nterea Imperator, cum forte haud le- <sup>Pall. c. 2. n. 3.</sup>  
 vioribus, ac ipsemet Pontifex curis  
 angeretur, atque aliunde Religionis ne-  
 gotia dijudicandi auctoritatem sibi plus  
 æquo arrogasse cerneret, Fanensi Epi-  
 scopo suasit, ne per integrum semestre  
 de lite Papam inter, & Cæsarem ob hoc  
*Interim* exorta quicquam agitare, ac  
 interea interrupta Synodi celebratione  
 Pontifex Episcopos, vel Cardinales le-  
 gitima agendi facultate instructos in  
 Germaniam decerneret, missisque Ro-  
 mam ex omni Natione Præsulibus, ibi-  
 dem pro morum emendatione decreta  
 conderet. Accepto hujusmodi respon-  
 so Montanus Cardinalis rem esse ita  
 conficiendam censuit, cum enim, in-  
 quiebat ille, „ prior ipsemet Cæsar fa-  
 „ tis aperte a suo proposito resiliendi  
 „ voluntatem demonstrasset, magis ad-  
 „ huc

Sæcul. XVI. „ huc irritaretur, si pertinacius eidem  
 A.C. 1548. „ resisteretur; cum insuper præter pub-  
 „ licam populi offensionem periculum  
 „ existeret: „ *ne facultates excipiendi,  
 reconciliandique Hæreticos, & Schismaticos  
 amplissimas concedere oporteat, supra  
 quas unquam a quocunque Pontifice concessa  
 fuissent, quidquid demum severior cautio quo-  
 rundam Theologorum opponat. Insuper  
 præter has tunc Cæsar quasdam alias fa-  
 cultates petiit nunquam usurpatas, inter  
 quas erant, quæ certe delegari non possunt,  
 utpote jure divino soli Pontifici reservatæ:  
 eas quidem inquebat Montanus, concedere  
 non licet, sed neque eas negare tutum est  
 tam fervido, tamque valido petitori: pro-  
 inde satius esse videtur, rem committi judi-  
 cio Præsulum, qui ad formandos disciplina  
 leges erunt undique convocandi, quorum con-  
 silio repulsa & venerabilior, & tolerabilior  
 reddetur.*

Circa Præsules vero, quos Cæsar  
 in Germaniam mitti petebat, Cardina-  
 lis Montanus his verbis sententiam su-  
 am promebat: *Quamquam, si Præsules  
 mitterentur, minus foret dispendii, Cardina-  
 les tamen præferendos censeo, quippe &  
 honorificentius, & fortassis efficacius rem  
 aduros, adeoque ad eam missionem suadeo  
 inter illos unum ex Concilii Legatis seligen-  
 dum, idque Cervino convenire puto, non au-  
 tem mihi, cum ad id muneris haud idoneus  
 sim,*

fim, ac non virtutum modo, sed virium ege- Sæcul. XVI.  
 state premar. Non tamen temeraria for- A. C. 1548.  
 tasse foret suspicio, in me, utpote antiquio-  
 rem, casuram electionem ad tam præclaram  
 provinciam, qua Pontifici simul, ac mihi  
 possem Cæsaris benevolentiam recuperare;  
 cum apud Principes in more sit, quod ad su-  
 stentandam, promovendamque ministrorum  
 fidem velint, ut is reconciliationis sequester  
 sit, qui ob fidem, ac studium fuerat offen-  
 sionis administrator. Verum de causa trans-  
 lationis moneo, ut tractatio cum Cæsare  
 non protrahatur, ne absque decisione ea caus-  
 sa pendeat, vel saltem absque occulta Ponti-  
 ficis declaratione, solis Legatis patefiat; ne,  
 si vacaret interim Sedes, Cæsari superesset  
 ulla tituli species affirmandi, quod Conci-  
 lium Tridenti subsistat, & ad ipsum Ponti-  
 ficis electio pertineat: id tamen Concilium  
 perfici non poterit, nisi per inaccessum arca-  
 num, ne Cæsar irritetur ad provocationem  
 prosequendam, quam suo nomine Mendoza  
 interposuerat, cujus confirmandæ potesta-  
 tem fuisse illi traditam exploratum est, ita  
 tamen, ut nonnisi in quibusdam conditioni-  
 bus ea uteretur, & res in schisma pro-  
 rumpat

Huic Montani Cardinalis sententiæ  
 acquiescere videbatur Pontifex, nullos  
 tamen Cardinales in Germaniam esse  
 ablegandos contendebat, veritus, ne  
 Madrutium, qui eis loco cedere coge-  
 retur,

Sæcul. XVI. retur, offenderet, hinc Bertano Fanen-  
A.C. 1548. si Episcopo Legationis socios adjunxit  
 Lipomanum Veronensis Episcopi Adju-  
 torem, & Pighinum non ita pridem ad  
 Ferrentinam Ecclesiam translatus; qui  
 ambo inter eos erant, quos Bononien-  
 sis Synodus pro tuenda Concilii trans-  
 latione Romam ablegaverant.

## §. XLIV.

*Diploma hisce Germanicæ Legatis a  
 Papa traditum.*

*Sarpi l. 3.  
 p. 275.*

Post hæc summus Pontifex, consen-  
 tente Purpuratorum Senatu tam  
 Veronensi, quam Ferrentino Episcopis  
 die ultima Mensis Augusti diploma tra-  
 didit, in quo eisdem hanc facultatem  
 concessit: *Præprimis mandamus vobis, ut  
 significetis omnibus, qui in rectam veritatis  
 Catholicæ viam redire volent, quod para-  
 tus sum obviis eos ulnis amplecti, facileque  
 in gratiam eos recipere; modo leges acci-  
 piant, non præscribant. II. Vestris quo-  
 que conscientiiis relinquimus, ut de veteri pe-  
 nitentiæ formula relaxetis, quantum sine  
 publica offensione vobis remittendum videbitur:  
 adeoque potestatem vobis facimus ab-  
 solvendi in utroque foro personas quascun-  
 que sæculares, etiam Reges, ac Principes,  
 tum Ecclesiasticos, & Regulares, Colle-  
 gia, & Universitates, ab omnibus excom-  
 muni-*

municationibus aliisque Censuris, & pœnis Sæcul. XVI.  
 etiam temporalibus, quas in hæresin lapsi A C. 1548.  
 incurrerint, etiam si relapsi sint, item di-  
 spensandi ab omnibus irregularitatibus,  
 quocunque respectu contractis, etiam pro-  
 pter bigamiam, & eosdem famæ, honori,  
 & dignitati restituendi, ac abjurationem  
 quamcunque, & satisfactionem debitam mo-  
 derandi, sive omnino remittendi, atque tam  
 universitates, quam singulas personas, ab  
 omnibus pactis, & conventionibus illicitis,  
 quibus seductoribus suis tenentur, liberandi,  
 absolvendique a jurejurando, fide, & per-  
 jurio quocunque, cui sunt obstricti omisso-  
 nis cujuscumque nomine: absolvendi præterea  
 Regulares ab apostasia, concessa iis faculta-  
 te induendi habitum regularem Sacerdotis  
 regularis amictus coopertum, veniam quoque  
 concedendi quibusvis, etiam Ecclesiasticis,  
 ut vescantur carne, cibisque vetitis,  
 diebus jejunii, & quadragesimæ, de medici  
 corporei, & spiritualis consilio, aut certe  
 solius spiritualis, imo, absque eo, si ipsis  
 ita videbitur (\*). Item dierum festorum  
 numerum moderandi; denique illis, qui sub  
 utraque specie communicarint, calicis usum  
 ad vitam, aut ad certum tempus, prout  
 ipsis visum fuerit, concedendi, modo demisse  
 id

(\*) Hujus indulgentiæ testis solus est Pau-  
 lus Sarpus, nullius fidei Scriptor.  
 Hist. Eccles. Tom. XXXIX. S s

Sæcul. XVI. id postulent, & fateantur Ecclesiam non er-  
A.C. 1548 rare, dum calicem negat laicis; & dum-  
modo separatim communicent alio tempore,  
& loco, quam vulgo sub una specie com-  
municatur. III. Vobis etiam facimus po-  
testatem Beneficia Ecclesiastica Academiis,  
& Scholis, & locis hospitalibus uniendi, &  
bonorum Ecclesiasticorum occupatores post  
bonorum solam restitutionem absolvendi, de  
fructibus perceptis, & mobilibus consum-  
ptis cum possessoribus transigendi, facta  
demum potestate facultates has viris aliis per  
Germaniam illustribus delegandi, & com-  
municandi.

## §. XLV.

*Hoc diploma a pluribus reprehensum.*

Scriptores, qui hoc diploma referunt, memorant, quod plures illud sinistre fuerint interpretati, ac præprimis insinularunt vanitatis, atque arrogantiae, eo quod Papa velit Reges, & Principes honori famæ, ac dignitati restituere: insuper repugnantiam quoque continere putabant, absolvere resipiscentes a juramentis illicitis; si enim, inquiebant illi, ea sunt illicita, absolutione haud opus habent, nec minus etiam illud cum semetipso pugnare credebant, quod concederetur calicis usus duntaxat his, qui hunc usum laicis de-  
negan-

negandi jus Ecclesiæ competere cre- Sæcul XVI.  
dunt (\*). Plures adhuc alii articuli A.C 1548  
hujus diplomatis impugnati fuere.

Interea ambo Sedis Apostolicæ Nun-  
tiii Lippomanus, & Pighinus, exeunte  
Mense Septembri ad Cæsarem profecti,  
post decimam septimam nomina-  
tionis suæ diem Bononiam pervene-  
runt, prout literæ eis traditæ testan-  
tur. Hos jam præcesserat Fanensis E-  
piscopus, qui Cæsaris postulata exequi,  
haud adeo expeditum censebat; quippe  
Gallarum Rex Synodum interrumpi no-  
luit, prout Bononienses Patres fieri sua-  
serant; credebatur enim Gallus, quod Ca-  
rolus Imperator hanc Synodum, quam-  
diu subsisteret, spectare cogeret velut  
nubem quamdam, ex qua sibi pro-  
cellam formidaret: quinimo Henricus  
II. Franciæ Rex jam Regni sui Episco-  
pos,

S s 2

(\*) Hasce pluresque ejusmodi cavillationes  
solus maledicus Paulus Sarpus adinvenit, au-  
dacter tamen Continuator noster affirmat, quod  
Scriptores alii hoc diploma exagitarint, minus ve-  
ro Continuatori indulgendum videtur, quod  
hæc commenta suæ Historiæ inferere non eru-  
buerit, cum tamen ea a Pallavicino validis  
omnino argumentis confutata ignorare haud po-  
tuerit. Vide citatum Pallavicinum in Historia  
Concilii Tridentini tom. 2. lib. 11. cap. 2. n. 8.  
& seq.



Sæcul. XVI  
A C 1548.

pos, ut de emendanda disciplina delib-  
berarent, Romam decernere promitte-  
rat, atque apud Pontificis Nuntium  
questus erat, quod Synodus in Cæsaris  
gratiam otuari permetteretur. Ast Re-  
gi Nuntius reposuit: Synodus potius  
otiat in gratiam pacis & communis  
concordiæ, quæ in ipsius etiam Regis  
commodum redundabit: cum vero Rex  
hoc responso necdum plene contentus  
videretur, Papa novis angebatur curis;  
hujus enim Principis favorem sibi cer-  
tum reddere, Pontificis plurimum iu-  
tererat.

Porro summus Pontifex, ut Par-  
mam in tanto rerum tumultu sibi sartam  
servaret, illiusque beneficiarium jus ab  
Octavio Farnesio Nepote suo in Hora-  
tium Farnesium Castrensem Ducem  
transferret, cum Guisio Cardinale jam  
eo rem perduxerat, ut ipse postulatam  
pecuniam Lugduni deponeret, abole-  
retque abusus jurisdictioni Ecclesiasti-  
cæ adversos in Provincia, in minori  
Britannia, in Delphinatu, in Sabaudia,  
& Pedemontana ditioe.

Id autem nolebat re ipsa præstare,  
nisi prius Galliarum Rex petitam pecu-  
niæ summam Romæ deposuisset, ac fœ-  
dus cum Helvetiis adeo firmiter iniisset,  
ut haud ultra ipsi periculum a Cæsaris  
exercitu impendere posset.

§. XLVI.

## §. XLVI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.*Legatorum in Germaniam missorum  
sollicitudo de transferenda Synodo.*

Cum interea Pighinus Tridento iter Pallav. c. 2.  
faceret, Hispanos Præsules pene n. 16  
tædio confectos reperit, eo quod in sta- Ex literis  
tione parum jucunda, omniumque re- Montani ad  
rum indiga tamdiu hæerere cogentur: Cervin.  
cum autem iter suum Germaniam ver-  
sus prosequeretur, quosdam Religionis  
ritus, quibus sese hæretici ob Cæsarei  
edicti metum subjiciebant, exterius ob-  
servari, animo tamen abhorri depre-  
hendit. Præterea sacra, quin illis ali-  
qui interessent, celebrabantur, & vix  
erat, qui amplam facultatem Nuntiis  
a Papa concessam ad animæ suæ salu-  
tem sibi impendi deposceret. Hinc sa-  
tis aperte cognoscebat Pighinus, om-  
nem operam in irritum casuram, hos-  
que populos non nisi armorum vi ad of-  
ficiam redigendos: cum is vero ad Cæsa-  
ris aulam deferretur, eundem ad dire-  
menda diffidia ob Synodi translationem  
exorta valde propensum animadvertit,  
hinc prosperum conatus sui exitum sibi  
pollicebatur, hancque in rem ipse eti-  
am Fanensis Episcopus ad Cardinalem  
Cervinum literas dedit, quibus hæc  
significabat: „ Cæsar lubenti animo

S s 3

„ per-

Sæc. XVI. „ permisit, ut nonnulli ex Tridentinis  
A.C. 1548. „ Præsulibus Romam adirent, juncta  
 „ cum ceteris opera morum emendatio-  
 „ nem promoturi; difficultatem tamen  
 „ haud exiguam Imperator ostendit in  
 „ Nuntiorum facultatibus, eoquod ejus  
 „ postulatis haud consonæ essent: qua-  
 „ propter opus esse videtur, ut prius-  
 „ quam hi quicquam agitent, eorum  
 „ diplomata corrigerentur. „ Interea  
 vero pauci admodum erant, qui per istos  
 Sedis Apostolicæ Nuntios a suis sceleri-  
 bus liberari poscebant.

Insuper Cæsar potissimum petebat,  
 ut Pontifex per suum diploma declara-  
 ret, quod facultates Nuntiis concessæ  
 duntaxat usque ad futuri Concilii san-  
 ctionem vim suam obtinerent; verum  
 Pontifex huic postulato assentiri haud  
 posse respondit, cum alias hoc pacto  
 indicaret, quod Concilium auctoritate  
 eum præcelleret, jusque haberet facul-  
 tates a Papa concessas aut rejiciendi,  
 aut approbandi: proin satis fore Cæsa-  
 ri ajebat, quod Papa haud difficilem se  
 præbuerit in amplectendis Præsulum  
 sententiis circa hæc postulata pronun-  
 tiatis. Nihilominus progressu temporis  
 quædam in hoc diplomate fuere immu-  
 tata, atque in Nuntiorum arbitrio repo-  
 situm est restringere tempus, quo E-  
 charistiam sub duplici specie admini-  
 stran-

frandi facultas duraret: sed ne his qui-  
dem indulgentiis permotus est Impera-  
tor, ut Tridentinos Patres Romam mit-  
teret, unde in Montano Cardinale au-  
gebatur suspicio, ne hi Patres quædam  
adversa molirentur, si forte Papam mo-  
ri contingeret: quapropter pristinum  
suum consilium rursus urgere statuit,  
Paulumque Papam eo inducere voluit,  
ut scripto legitime testaretur, quod qui-  
dem translationis causam eo fine ad se  
devolvisset, ne schismati ansa præbe-  
retur, nunc vero ob grave senium haud  
temere pertimesceret, ne hujus causæ  
exitum mors præveniret, proin sibi cer-  
to compertum esse declararet, transla-  
tionem rite peractam fuisse, eamque  
veluti legitimam indicta etiam censura-  
rum pœna esse recipiendam. Verum  
Marcellus Cervinus admonuit, cuncta-  
tione opus esse, ac Montani suspicionem  
solido destitui fundamento, eoquod Cæ-  
sar ipsemet in mandatis Madrutio da-  
tis declarasset, vacante fors Sede Apo-  
stolica, Pontificis electionem ad Cardi-  
nalianum Collegium devolvi, etiamsi ad-  
hucdum Concilium subsisteret. Hoc  
Cervini monitum adeo prævaluit, ut  
hac in re nil ultra moveretur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

Sæc. XVI.  
A. C. 1548.

§. XLVII.

Carolus Borbonius Princeps a Papa  
in Cardinalem creatus.

*Ciac. in vit.*  
*Pontif. to. 3*  
*p. 732.*  
*San. Marth.*  
*hist. geneal.*  
*de la Maison*  
*de France*  
*t. 2. in fol.*

**H**oc anno die nona Januarii feria se-  
cunda summus Pontifex nonnisi u-  
nicum nominavit Cardinalem, isque  
erat Carolus Borbonius Vindocinensis  
Ludovici Condensis Principis, & An-  
tonii Navarræ Regis Frater, quintus-  
que Caroli Borbonii Vindocinensis Du-  
cis, ac Franciscæ Alenconix Filius,  
qui primam lucem aspexit die vigesima  
secunda Decembris Anno Domini mil-  
lesimo quingentesimo vigesimo tertio in  
oppido *Firmitatis sub Jotrum* in ditio-  
ne Briensi, atque anno Salutis nostræ mille-  
simo quingentesimo quadragésimo ad Re-  
gis preces Nivernensis Episcopus est re-  
nuntiatus, demumque Cardinalium nu-  
mero adscriptus, cum nonnisi vigesimum  
quintum ætatis suæ annum expleffet.  
Obtinuit titulum Cardinalis Diaconi ad  
S. Sixtum, quo tamen paulopost com-  
mutato nominatus est Cardinalis Pres-  
byter tit. S. Chrysogoni.

§. XLVIII.

*Trivultii Cardinalis obitus.*

*Ciacon. l. 6.*  
*p. 416.*

**E**xiguo post hujus creationem tempo-  
re Purpuratorum Collegium luxit  
Augu-

Augustinum Trivultium Mediolanensem Sæcul. XVI. A.C. 1548.  
 Joannis Trivultii, & Angelæ Martinen-  
 gæ Filium, qui Fratres habuit Petrum *Gibert. Bem-*  
 & Philippum, quorum primus Rhegius *bo & Sadolet*  
 totius Calabriae metropolis, alter vero *in Eoist*  
 Ragusiae Archiepiscopus erat. Augusti- *San Marth.*  
 nus ex Julii II. Romani Pontificis cubi- *in Gall. Chr.*  
 culario Protonotarius primo, & postea *Ugh. in Ital.*  
 Anno Domini millesimo quingentesimo *sacr. Aubery*  
 decimo septimo, quo quam plurimi ad *vie des Car-*  
 purpuram evecti fuerant, & ipse a Leo- *dinanæ.*  
 ne X. Cardinalis Diaconus titulo S. A-  
 driani renuntiatus est, ad preces, ut  
 fertur, Joannis Jacobi Trivultii Mare-  
 scalli, ejusque Patru, quamvis proprio  
 meritorum suffragio, ac veteris inter  
 Medicæam, ac Trivultianam Familiam  
 amicitiae subsidio hanc quoque dignita-  
 tem jure affecutus dicatur. Rexit is  
 plures Ecclesias, ac inter eas Tolonen-  
 sem, & Petracoricensem, imo juxta a-  
 lios Massiliensem quoque, Vaucensem  
 in Gallia, Bobiensem, Astensem, &  
 Novariensem in Ducatu Mediolanensi,  
 præter Rhegiensem in Calabria, &  
 Brugnatensem in Liguria, imo ex non-  
 nullorum quoque testimonio Archiepi-  
 scopus præfuit etiam Ecclesiae Mediola-  
 nensi. Administravit insuper Baiocen-  
 sem Ecclesiam in Francia; nam ad hanc  
 ex obitu Petri Martiniani vacantem  
 a Francisco I. regis literis Compendii

S s 5 Anno

Sæcul. XVI. Anno Christi millesimo quingentesimo  
A.C. 1548. trigesimo primo die decima septima Se-  
 ptembris nominatus est, ac tertio deci-  
 mo post anno per Procuratorem Rotho-  
 magensis Archiepiscopatus possessionem  
 accepit. Eidem quoque a Clemente VII.  
 demandata est Legatio Campaniæ Ro-  
 manæ in bello contra Columnneses,  
 cui id muneris obeunti Matthæus Gilber-  
 tus plures Epistolas Pontificis nomine  
 perscripsit. Præfuit postea tanquam Ar-  
 chipresbyter Vaticanæ Basilicæ, nec  
 minus præficiēbatur Romæ negotiis Or-  
 dinis Cisterciensis, & Gallici Regni e-  
 molumenta post Scaramutiæ obitum  
 procurabat.

Hic idem Bembum, Sadoletum &  
 Cajetanum, omnes tres Cardinalitia  
 dignitate conspicuos, arcta sibi amicitia  
 junctos habuit, & scripsit Romanorum  
 Pontificum ac Cardinalium Historiam,  
 quam nonnisi ex antiquissimis monu-  
 mentis collegit, licet eam morte præ-  
 ventus typis mandare haud potuerit,  
 eidemque in percelebri hoc labore præ-  
 cipuus comes exstitit Antonius Lælius,  
 quem a secretis habuit, fateturque O-  
 nuphrius Panvinius, quod utriusque  
 hujus Scriptoris lucubrationibus, ac  
 vigiliis ipsemet præcipue usus sit in sua  
 Romanorum Pontificum, & Cardina-  
 lium

lium parte, quam Urbano VI. usque Sæcul. XVI.  
ad Paulum III. (\*) profecutus est. A.C. 1548.

## §. XLIX.

*Cortefii Cardinalis fata.*

Eodem anno pariter obiit Cardinalis Ciac. p. 683.  
Cortefius, quorumdam operum scri- Vitærel. in  
ptor: hic natione Italus, atque ex illu- addit. ad  
strissimo Mutinensium genere ortus in Ciacon.  
Abbatia Padolyronna prope Mantuam  
institutum D. Benedicti professus est,  
prius tamen apud Joannem Medicæum  
Cardinalem, qui postea summus Pon-  
tifex renuntiatus Leo X. nuncupabatur,  
excipiendarum cauffarum munus exer-  
cuit; Benedictinorum autem habitum in-  
dutus aliquamdiu in Lerinensi Insula  
substitit, & tandem in Montis Cassinensis  
Abbatem electus est: brevi tamen rara  
sua in Græcis, ac latinis literis erudi-  
tione, necnon civilis, canonicique ju-  
ris intelligentia quamplurimos sibi con-  
ciliabat amicos, atque hos inter præci-  
pue Bembum, & Sadoletum: postea  
vero a Paulo III. Nuntius in Germani-  
am ablegatus, indeque redux die ulti-  
ma Maji Anno post Christum natum  
millesimo quingentesimo quadragesimo  
secundo renuntiatus est Cardinalis ti-  
tulo

(\*) In Ciaconio legitur: Paulum IV.



Sæcul. XVI. tulo S. Cyriaci, demum ab eodem summo Pontifice unacum aliis Cardinalibus Romæ ad decidenda Concilii Tridentini negotia selectus tandem Urbanatem Episcopatum obtinuit. Nec tamen harum dignitatum amplitudo illius integritatem, animi candorem, morumque comitatem labefactare poterat; semper enim omnibus percarus inceptam semel vitæ normam profectus est, nec interrupto nexu vitæ innocentiam cum assiduo scientiarum ac pietatis studio conjunxit. Obiit Romæ die vigesima prima Septembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, sepultusque est in Basilica duodecim Apostolorum ante Aram S. Eugenii. Hic cum jamjam cum morte luctaretur, cuidam ex suis domesticis hæc dixit: *En! sum morti proximus, melius mihi procul dubio esset, e vita migrare in paupere Religiosorum Virorum veste, quam in purpura.*

Ingenii monumenta, quæ hic Cardinalis posteris reliquit, satis luculenter testantur, quod in suis scriptis semper usus sit stylo non minus eleganti, quam jucundo; elucet quoque ex eis rara illius eruditio, animi moderatio, atque actionum æquitas; complexus erat omnes mentis prærogativas, quæ in

in Viro probo, ac Scriptore erudito de-  
 fiderari valent. Scripsit præprimis li-  
 brum de Theologica institutione. II. Sæcul. XVI.  
 Tractatum de potestate Ecclesiastica. A.C. 1548.  
 III. Librum de hymnis, & diversis me-  
 tris, latine etiam reddidit tractatum D.  
 Cypriani de Virginitate, insuper exstant  
 Italico sermone plures illius Epistolæ.  
 Ceteris tamen omnibus ejus elucubra-  
 tionibus palmam præripit tractatus, in  
 quo D. Petrum Romam venisse demon-  
 strat. Hunc Adriano VI. Papæ nuncu-  
 patum Hersilia Cortesia ejusdem Neptis  
 Anno Christi millesimo quingentesimo  
 septuagesimo tertio Venetis lite-  
 ris unacum latinis Fratris sui Epistolis  
 excudi curavit. In hoc opere Corte-  
 sius discutit I. An D. Petrus Romam  
 venire potuerit. II. Utrum ex testimo-  
 niis fide dignis illum reipsa Romam ve-  
 nisse comprobari valeat. Primæ hujus  
 quæstionis veritatem recensendo ea,  
 quæ in sacris literis de D. Petri gestis  
 scripta leguntur, demonstrat, ejusque  
 adventum ad Romanam Urbem in se-  
 cundo Claudii Imperatoris anno collo-  
 cat. Alterum articulum testatum red-  
 dit ex antiquissimis juxta, ac integerrimis  
 Scriptoribus. Stabilita itaque hæc  
 veritate argumentis a quodam hujus  
 opinionis oppugnatore allatis respondet,  
 simulque confutat ejusdem Scriptoris  
 senten-

Sæcul. XVI. A. C. 1548. sententiam, qua D. Petri Epistolam ex alia Babylone Ægypti urbe fuisse scriptam affirmat.

§. L.

*Sigismundus Poloniae Rex mortuus.*

*Sleid. comm.* *l. 20. p. 708.* *Belcar. l. 25. num 5.* *Neugebaver hist. Polon. l. 7. ad finem & l. 8. initio.* Obiit pariter hoc anno in festo Paschatis, quod in primam Aprilis diem incidit, Sigismundus V. Poloniae Rex, postquam octogesimum secundum ætatis, Regni vero sui quadagesimum secundum expleverat. Erat is Filius Casimiri IV. ac Joannis, & Alexandri Regum Frater, tanta meritorum gloria illustris, ut per heroicas actiones suas jure sibi *Magni* nomen emeruerit. Anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo connubio sibi sociabat Barbaram Stephani Comitis de Scepus, ac supremi Transylvaniæ Præfecti Filiam, quæ Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo decimo quinto nonnisi viginti annos nata mortalitatem exiit. Secundis postea nuptiis Sigismundus duxerat Bonnam Sfortiam Joannis Galeatii Mediolanensis Ducis Filiam, quæ nonnisi Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo naturæ debitum solvit. Ceterum Sigismundus ex primo connubio duas susceperat filias, Hedwigen Joachimo II. Brandenburgico

deburgico Electori nuptam, & Annam adhuc in cunis morte sublatam. Magis Sæcul. XVI.  
A C. 1548.  
 fœcundæ erant secundæ nuptiæ, ex quibus primo ortus est Sigismundus cognomento Augustus Patris sui Successor præter Elisabetham, Sophiam, Annam, & Catharinam, quarum prior Joanni Zapolo Hungariæ Regi, altera Brunsvicensi Duci, tertia vero Stephano Batorio postmodum Poloniæ Regi, ac quarta demum Joanni hujus nominis III. Sueciæ Regi desponsata fuit.

## S. LI.

*Galliarum Rex pro fœdere cum Papæ  
ineundo Pedemontium profectus.*

Postquam in Galliis Henricus II. exeunte Mense Aprili Picardiæ, Campaniæ, ac Sabaudiæ Provincias lustraverat, omnesque urbes valido præsidio, omnique annonæ, bellicque apparatu instruxerat, tandem Pedemontium contendit, ut fœderis negotium, quod Cardinalis Lotharingius cum Papa agibat, eo efficacius urgeret, quinimo idem Cardinalis summo Pontifici significabat, quod Rex jamjam Mediolanensis urbis portas infestaret, nil tamen ultra moliretur, nisi prius Farnesiana Domus in Parmensis, ac Placentinæ ditionis possessionem reposita foret. Verum

*Thou. l. 5.  
num. 7.*

rum

Sæcul. XVI. rum Pontifex provectæ suæ ætatis haud  
A.C. 1548. immemor, serio etiam perpendebat,  
 quod non modo propriæ suæ utilitati,  
 sed vel maxime Ecclesiæ bono præju-  
 dicium inferret, si contra Carolum Cæ-  
 sare[m] bellum moveret, hinc tempori  
 serviendum esse arbitrabatur. Igitur  
 Henricus Rex se operam perdidisse pro-  
 spiciens, suamque in Italia præsentiam  
 prorsus inutilem esse ratus, superatis  
 rursus alpi[s] in Franciam rediit An-  
 gliæ Regi arma illaturus, simulque Bo-  
 noniensem Picardiæ urbem recupera-  
 turus, quam regnante Francisco I. ejus  
 Patre Angli in nupero bello eidem  
 eripuerant.

## §. LII.

*Plurium Franciæ Provinciarum  
seditio.*

*Sleidan. l. 21.* Cum autem Rex ad sustinendos hujus  
*p. 274.* belli sumptus subditis suis immodi-  
*Belcar. l. 25.* ca tributa imponere, atque innumeris  
*n. 16.* ferme suppetiarum oneribus premere  
 cogeretur, mox illius populi jamjam  
 præcedentium bellorum exactio[n]ibus  
 exhausti in pluribus Provinciis seditio-  
 nem concitarunt, ad id adacti ob tribu-  
 ta, ac propter acerbissimas vexatio-  
 nes illorum, qui ex salinis vectigalia  
 exigebant. Primæ omnium, quæ re-  
 bellio-

bellionem conflagrant, Provinciæ erant Sæcul. XVI. A.C. 1548.  
 Engolismensis, & Santonenſis, in quibus plusquam viginti ruſticorum mil-  
 lia in unum agmen coibant, ac præter quemdam Nobilem nomine Puteo - Mo-  
 ronum etiam quemdam Blanſacenſem Puy-Moreau  
 civem nomine Bois-menillum, cognomento *Galafram* tanquam ſuum caput nominabant. Poſtquam vero ſeditionis rumor ad Petroviennes, Agenneſes, Lemovicenſes, Pictaviennes, & Valcones ſeſe effuderat, mox infra unius Menſis anguſtias plusquam quinquaginta millia hominum confluxerant, qui contra Regem ſuum arma capeſcebant. Seditioſos hoſce non ſine ingenti lætitia Burdegalenſes exceperunt, atque ipſimet æris campani ſonitu excitati per totam quiſque urbem ad arma convolant, ac ingentem Miniſtrorum numerum trucidant, eorumque ædes deprædantur.

## §. LIII.

*Sententia in ſeditioſos Burdegalenſes pronuntiata.*

Equidem Henricus II, ut horum rebellium furorem liſteret; Anna Montmorentio Franciæ Conneſtabili, & Francico Lotharingio Aumalio Ductoribus copias eo miſit, peditum decem mil-  
Belcar. l. 25. n. 17. Et 18. Thuan. l. c.  
*Hiſt. Eccleſ. Tom. XXXIX. T t lia,*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.

lia, ac mille cataphractos, & postea feditiosos severe plecti jussit: Die ergo vigesima sexta Octobris contra hoce judicii acta instruuntur, lataque sententia Burdegalenses seditionis, perfidiae, læsæque Majestatis rei declarantur, simulque omni immunitate, privilegiis, jurisdictione, ac publicis possessionibus spoliantur, nec non horum jurium diplomata, spectantibus civium præcipuis, in ignem conjici jubentur. Eadem quoque sententia fuit injunctum, ut urbis Prætorium solo æquaretur, ibidemque exstrueretur Sacellum, in quo anniversariæ celebrarentur exequiæ, ac pro anima defuncti Præfecti Moneinsii in hac seditione occisi Missæ sacrificia offerrentur. Pariter omnes urbis, & aliorum locorum, in quibus seditio flagrabat, campanæ e templis ablatae in duo castella reportarentur, conjurati quoque unacum viginti sex civium Primoribus, qui lugubri veste induti ardentes tædas præferrent, comitante eos universo populo ad Ecclesiam Patrum Carmelitarum instructo supplicantium ordine procederent, ac corpus præfati Moneinsii ad Ecclesiam Cathedralem deferrent (\*), ut ibi postmodum honorifice terræ

(\*) Sleidanus, atque ex eo Thuanus referunt,

terrae mandaretur, ac quotannis exequiæ peragerentur. Insuper decretum, ut pro alendo Regis exercitu ducenta librarum millia penderent, suisque sumptibus duas arces annona, bellique apparatu instruerent, ac denique urbem propugnaculis firmarent, duasque triremes, quæ portum tuerentur, suis expensis instructas tenerent, Parlamentum vero omni jurisdictione, atque auctoritate exueretur. Pronuntiata hac sententia Connestabilis quosdam reos capite plecti jubet: Guillotinus autem vivus exuritur, atque alteri, qui æs campanum pulsasse convincebatur, laqueo

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

runt, quod Connestabilis hosce miseros adegerit, ut terram, qua Regius hic Præfectus testus erat, & humatus nullo instrumento, sed unguibus, & digitis evellerent, sic inventum, ac restitutum cadaver, maxima deinde pompa Monachorum, & sacrificiorum terræ mandetur. Pone sequebantur cives omnes, ad quinque circiter millia cum singulis cæreis: & cum ad Connestabilis diversorium venissent, sistitur funus per intervalla passuum aliquot: ibi tum illi in genua prolapsi, lamentabili clamore misericordiam implorant, & suum ipsi delictum execrantur, & regi, quod non atrocius in se vindicavit, gratias agunt.



Sæcul XVI  
A.C. 1548.

quo ad campanæ clavum alligato caput confringi iubetur; ambo denique fratres Salictetes securi percussifunt (\*).

Nihilominus Rex hujus sententiæ severitatem in eo mitigabat, quod urbis Prætorium solo æquari haud permetteret, excepta tamen turri, in qua campana ad seditionem excitans pendebat; hæc enim penitus diruta fuit: insuper Regis arbitrio relicta est pecuniarum multa, Parlamentum vero nullatenus pristinæ dignitati fuit restitutum, eoquod hac in occasione suo defuisset officio: quapropter in illius locum Rex ex aliis Curiis quosdam selegit, qui ibidem imposterum jus dicerent: Anno tamen ineunte millesimo quingentesimo quinquagesimo Senatores suo officio, & urbs suis privilegiis, atque immunitatibus restituta fuit: Universæ etiam Aquitanicæ Provinciæ concessa est omnium præteritorum criminum oblivio, a qua tamen gratia illi excipiebantur, qui in Magistratus, Regiosque Præfectos manus injicere præsumebant. In eodem quo-

(\*) His subjungit Thuanus: *Pimocæus moscomprehensus capite luit; Galasfræ, ac Talemtagnæ præcipuis rusticæ multitudinis ducibus brachia, ac crura fracta sunt, impositis rotæ corporibus,*

quoque anno Pictaviensis, Santonen-  
 sis, Engolismensis, Lemovicensis, ac  
 Petroviensis Provinciæ cum ipso Rege  
 de extinguendis vectigalibus tranfige-  
 bant, pollicitæ, quod octoginta librarum  
 millia quotannis in numerata pecunia  
 pendere velint præter ducenta aureo-  
 rum millia, in publicas Provinciæ neces-  
 sitates impendenda.

Sæc. XVI.  
 A C. 1548.

§. LIV.

*Religionis negotia in Angliæ  
 Regno.*

Agitabatur Religio in Anglia extremis  
 omnino tumultibus; quamprimum  
 enim Eduardus Herfordiæ Comes, at-  
 que adolescentis Regis Avunculus, qui  
 Sommerfeti Dux appellabatur, sese Re-  
 gni Protectorem proclamari fecerat,  
 mox Regis animum ad sua studia per-  
 trahens, ac Proceres auctoritate sua si-  
 bi subjiciens aperte Protestantibus pa-  
 trocinatus est, Thoma Cranmero Can-  
 tuariensi Archiepiscopo sedulam ad id  
 operam eidem jungente. Utebatur e-  
 tiam ministerio quorundam Luthera-  
 næ sectæ Doctorum præcipue Petri  
 Martyris, & Ochini, quorum supra me-  
 minimus, necnon Martini Buceri, qui hoc  
 anno Londinum venerat. Horum ope  
 præcipua hæresis novæ dogmata præ-

*Burnet hist.*

*Ref. l. 1. t. 2.*

*p. 82. Ep. 102*

*Sanderus*

*hist schism.*

*Angl. l. 2.*

*p. 255.*

T t 3

primis

Sæcul. XVI. primis inter Nobiles diffeminabat Eduar-  
A. C. 1548. dus; postea vero convocato Senatu Mis-  
 sive Sacrificium edito hanc in rem pu-  
 blico decreto abrogavit, quamvis id non  
 nisi pededentim obtinere potuerit.

Huic sacrilego facinori Cantuarien-  
 sis Archiepiscopus jam Mense Februa-  
 rio initium fecit, sacras evertendo ima-  
 gines, quæ, ut calumniabatur ipse, sin-  
 gulis diebus novum altercationum fo-  
 mitem fuscitant, ac duntaxat ad foven-  
 dam superstitionem deserviunt. Post  
 hæc hyberno tempore Episcoporum, ac  
 Theologorum nonnulli seligebantur, qui  
 sacra Ecclesiæ officia discuterent, atque  
 emendarent: præcipua vero sollicitu-  
 do vertebatur circa Eucharistiam, atque  
 Communionem; Declarabatur etiam,  
 quod illi, qui coram Sacerdote suas no-  
 xas eluunt, minime damnarent illos,  
 qui duntaxat coram Deo in facie Ec-  
 clesiæ generalem criminum suorum con-  
 fessionem exsolvunt, nec tamen hi vi-  
 cissim *auricularis*, ut vocant, Confessio-  
 nis usum rejicerent: insuper Indulgen-  
 tiæ penitus fuere abrogatæ, & Cran-  
 merus Catechismum in lucem edidit,  
 ut juvenus, ita inquiebat ipse, saltem  
 primis rudimentis imbueretur circa  
 præcipua Christianæ fidei dogmata,  
 quæ juxta ipsum non in alio a Prote-  
 stantium Religione distant, nisi in duo-  
 bus

bus hisce articulis, quod Catho-  
 lici Sacerdotibus homines Deo recon-  
 ciliandi potestatem adstruant, &  
 Episcoporum, & Sacerdotum insti-  
 tutionem juris divini esse affirmant.  
 Hunc librum Cranmerus Eduardo Regi  
 nuncupare ausus est. Præterea com-  
 munitio sub duplici specie, necnon sa-  
 cra officia in lingua patria peragi jube-  
 bantur, eo videlicet prætextu, *ne po-  
 pulus, quid in rebus Divinis ageretur, i-  
 gnoraret.* Denique officium Divinum  
 penitus fuit immutatum, novaque pro-  
 posita est liturgia, in qua consecratio,  
 seu potius aquæ, salis, panis, incensi,  
 cereorum, ignis, campanarum, Eccle-  
 siarum, imaginum, Altarium, Crucum,  
 vasorum, Vestium sacerdotalium, ac pal-  
 marum Benedictiones expungebantur.  
 Haud injucundum erit percipere ordi-  
 nem, qui in nova hac Liturgia regnan-  
 te Eduardo typis vulgata servabatur.

## §. LV.

*Nova Liturgia in Angliæ Regno  
 introducta.*

Præprimis sacro officio initium datur  
 a matutinis, & vespertinis precibus,  
 eæque eodem, qui hodie observatur,  
 modo recitabantur, nec tamen ibidem  
 peccatorum confessio, & absolutio, uti

T t 4 nunc

Sæc. XVI.  
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

nunc fieri solet, Officio Divino præponebatur, sed duntaxat initium fieri decernebatur ab oratione Dominica, nec etiam, ut hodiedum usus obtinet, in sacræ Communionis ritu præcepta Dei prælegebantur. Ceterum Divini Officii ritus, qui tum præscribebatur, parum distat ab eo, quem Angli hodiedum servant, & *Liturgiam*, seu *publicarum precum Codicem* appellant, nam tum pro Communione inferebantur ea omnia, quæ jam antea circa hanc materiam in quodam edicto observari præcipiebantur; decretum enim erat, ut panis, & vinum aqua mixtum offerretur, ac postea communis oratio pro Universalis Ecclesiæ prosperitate recitaretur, vel etiam occurrentibus aliis vicissitudinibus Deo grates rependerentur pro specialibus donis, quæ Sanctis, Beatissimæ Virgini, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & Martyribus concessit. Insuper infinitæ Dei clementiæ commendabantur defunctorum fidelium animæ, ut tam illi, qui precantur, quam hi, pro quibus preces funduntur, una omnes in magno resurrectionis die ad dexteram Christi Domini federe permitterentur.

## §. LVI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.*Hujus Liturgiæ articuli circa  
Sacramenta.*

**O**ratio, quæ hodie in Eucharistiæ consecratione profertur, tum præfata huic generali orationi erat conjuncta, perinde acsi illius pars esset: in hoc autem solo discrimen reperitur, quod tum inserta, nunc vero expuncta legantur illa verba, quæ efformato Crucis signo pronuntiabantur: *Benedic Domine & sanctifica hæc dona, hasque creaturas panis, & vini, ut fiant pro nobis Corpus, & sanguis dilectissimi Filii tui.* Porro gratiarum actiones, quæ sequuntur, eædem fuere, quæ adhucdum in Liturgia Anglicana indicantur: penitus autem abrogata fuit Sanctissimi Sacramenti elevatio, qua significabatur, quod Christus Dominus primo in Crucem elevatus, postea tanquam hostia adoretur: singulis tamen festis diebus Communionis ritus, etsi nulla facta fuerit celebratio, prælegi præcipiebatur; panes vero absque fermento, figuræ sphæricæ, ac sine impressa quadam imagine, & hostiis minoribus paulo majores esse debebant, simulque injunctum Sacerdotibus, ut ipsimet communicantium ori hunc panem imponerent,

T t 5

nerent,

Sæcul. XVI  
A.C. 1548.

nerent, cum tamen hi antea illum ex Presbyterorum manibus acciperent. Pariter concinnabantur Lytaniæ ex orationibus brevissimis, quæ Presbyterorum, ac populi responsionibus interrompebantur, atque in illis præcipue rogabatur Deus, ut eos a Pontificis tyrannide liberaret. Circa Baptismum præter alios ritus hodie in Anglia observari solitos, præprimis infantis frons, ac pectus signo Crucis muniebatur, præmissoque exorcismo Dæmon ab hujus infantis corpore excedere, ac nunquam ultra reverti jubebatur: quo factò infans tribus vicibus aquæ immergebatur, si vero nimium debilis esset, tunc duntaxat in illius faciem aqua effundebatur, expletisque hisce ritibus Sacerdos Baptizatum candida veste induebat, atque modica olei portione in caput effusa, orationem subjungebat, qua a Deo pro recens Baptizato unctionem Sancti Spiritus implorabat.

Sacramentum Confirmationis ita administrari præcipiebatur: postquam infans ex catechismo, qui idem, ac modernus erat, interrogatus fuerat, Episcopus super illum signum Crucis efformans, eidem manus imposuit, dicens: *signo te signo Crucis, & tibi manus impono in nomine Patris &c.* Infirmi, qui

qui extrema unctione corroborari cupiebant, eandem duntaxat in fronte, & pectore adjunctis quibusdam precationibus recipiebant. Porro dum exequiæ celebrabantur, defuncti anima commendabatur Deo, ab eoque peccatorum remissio, ad cœlos assumptio, atque in extremo iudicii die illius corporis resurrectione petebatur. Sollicite etiam cavebatur, ne illi, qui publicis fidelium cœtibus legitima ex causa interesse præpediebantur, Sacramentorum usu privati existerent, atque infirmi in suis ædibus S. Synaxin reciperent, hinc nonnulli in ægroti cubiculo convenire jubebantur, ut ibidem Sacramentum consecrari, atque infirmo ministrari posset. Huic Liturgiæ præponebatur præfatio, quæ adhucdum exstat, in qua actum est de usu cæremoniarum, quæ in duas classes dividuntur, earumque prima complectitur ritus pio quidem ex fine introductos, sed, ut inquit ipsi, tandem superstitione depravatos: altera continet illos, qui priusquam per hominum vanitatem, ac superstitionem fuerunt adulterati, jam antea magis noxii erant. Postremis hisce ritibus rejectis priores retinebant, ut ad excitandam fidelium pietatem Dei cultus legitimam formam consequeretur: verum id ipsum non sine multorum repugnantia obtine-

Sæcul. XVI.

A.C. 1548.

ri



Sæcul. XIV.  
A.C. 1548.

ri poterat. Præterea se Crucesignandi usus retinebatur, prout priscis temporibus usuvenerat. Ceterum quæstio de præsentia reali Christi Domini in Eucharistia tam gravis momenti articulus hujus novæ Liturgiæ Architectis videbatur, ut singularem cautelam esse adhibendam censerent; cum autem tumultus in Germania hac super re concitatos etiam ipsimet vererentur, hinc aperte cum novis, spurisque Reformato-ribus sentire, ac docere nondum audebant, unde duntaxat hæc verba inferebant: *Sacramentum est verum, atque integrum Corpus Domini nostri Jesu Christi.* Interim magis perpiciue venenum suum progressu temporis effundebant, novarum hæresum doctrinis propius accedentes: stupendum tamen, quod hi novam hanc Liturgiam assistente Spiritu sancto confectam jactitare non erubuerint, quinimo cum hi blasphemia ejusmodi verba ab omnibus Viris rei haud ignaris, nec partium studio excæcatis non sine abominatione excipi perciperent, tunc ipsi se totam rei difficultatem dissolvissè arbitrabantur, dicendo, quod *de supernaturali assistentia, atque inspiratione* intelligi haud voluerint.

## §. LVII.

*Bellum Anglos inter, & Scotos  
continuatum.*

Interea bellum, quod jamjam Anglos *Sleidan. l. 21.*  
inter, & Scotos erat inchoatum, ma- *p. 752.*  
gis, magisque accendebatur ob raptam *Thuan. l. 5.*  
juvenem Scotiæ Reginam, quam Galli *n. II.*  
in Franciam adduxerant, ut Delphino *Buchanan in*  
in uxorem cederet. *hist. Scotiæ.* Nondum hæc  
Princeps sextum ætatis suæ annum  
expleverat, eamque Angli æque, ac  
Galli suorum quisque Principum nomine  
summis votis expetebant: cum autem  
Maria Lotharingia tum Regnum ad-  
ministraret, atque adolescentulæ hujus  
Principis mater natione Galla, ac Re-  
ligione Catholica esset, multumque ve-  
reretur, ne ejus Filia forte in quamdam  
Regionem hæresi infectam abstrahere-  
tur, hinc toto studio præcipuos ex Sco-  
tiæ Proceribus ad sua studia tam pro-  
spero successu pertrahebat, ut Angli re-  
pulsam pati cogerentur, ac nuptiæ cum  
Delphino conclusæ fuerint, moxque  
Andreas Montlamberghus Dessius cum  
exercitu sex millium ad Scotiæ Regnum  
contendit, eoque pervenit exeunte men-  
se Junio: Leoni quoque Strozio su-  
premo priori Capuensi datum erat ne-  
gotium, ut juvenem hanc Principem in  
Fran-

**Sæcul XVI. A. C. 1548.** Franciam abduceret, quapropter Dun-  
 brittonii, ubi Regina agebat, jactis an-  
 choris substitit, ibidemque novam spon-  
 sam in suum navigium recipiens ean-  
 dem unacum perhonorifico comitatu in  
 Britanniam secundis velis deduxit,  
 Anglis nequicquam undique insidias  
 struentibus. Inde illa modicis itine-  
 ribus in Franciam delata, ibidem Men-  
 se Augusto appulsa est, iis omnino ex-  
 cepta honoribus, quos generis sui no-  
 bilitas, ac dignitatis, qua postea in hoc  
 Regno claresceret, eminentia depofce-  
 re videbantur.

Verum nobile hoc spoliū non nisi  
 ad augendas belli flammās inter An-  
 glos, Scotosque accensas conducebat;  
 quippe Angli Hadinam, quam vulgo  
 Edintonem vocant, in media Regni  
 parte sitam occupant, illamque vallis,  
 turribus, fossisque undique cingunt, ac  
 valido quingentorum Equitum præsi-  
 dio muniunt, eo fine, ut inde Edinum  
 usque populabandi excurrere, totam-  
 que circacircum regionem ferro, flam-  
 maque devastare possent: cum vero Des-  
 sius unacum Scotis hanc urbem obfi-  
 dere pararet, re comperta Anglici Re-  
 gni Protector, donec terrestris exerci-  
 tus plene instructus esset, interim clas-  
 sem suam in terram exscendere iussit,  
 hujusque expeditionis curam suo fra-  
 tri

tri tum Archithalasso commisit: ve-  
 rum hic trina exscensione incassum ten-  
 tata, in Angliam remeare compulsus  
 est, non sine gravi suorum dispendio,  
 ac proprii nominis dedecore: despera-  
 tæ igitur causæ unicum præsidium  
 adhuc reliquum erat in terrestri exer-  
 citu, qui jamjam ductore Schrewsbu-  
 riensi Comite Scotiam invaserat. Ve-  
 rum Dessius hinc inde quasdam repor-  
 tavit victorias, nihilominus obsidio-  
 nem solvere cogebatur destitutus opè  
 potissimorum Scotorum, ac præcipue  
 Monticularum, quos Orcadenses nomi-  
 nant; hi enim annonæ penuria presi-  
 si ad suos reversi sunt, quapropter  
 Dessius in exercitu suo non nisi quinque  
 millia partim Gallos, partim Germa-  
 nos recensabat, ac cum exigua hac mi-  
 litum manu illinc quarto ferme ab Ha-  
 dina milliari in quodam loco situ mu-  
 nitissimo castra posuit, ut ab hostium  
 insultibus magis tutus esset. Porro  
 Angli hac urbe com meatu instructa re-  
 paratisque munimentis in patriam suam  
 reversi sunt, improbo sane consilio;  
 potius enim Edinum progredi debuif-  
 sent, ubi omnia armis, tumultuque  
 miscebantur.

Postquam vero Dessius quindecim  
 Scotorum millium suppetias accepe-  
 rat, Hadinam ex improvise adoriri ten-  
 tabat,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI  
A.C. 1548.

tabat, suoque conatui abs dubio secundus collusisset eventus, nisi quidam transfuga natione Gallus, ne urbe capta pœnas suæ perfidiæ lueret, veritus admoto igne quoddam explosisset belli tormentum; percepto enim illius strepitu Galli se proditos esse rati aufugerunt. Equidem Deslius Bellidux Brongthinam arcem occupare, & Toadunum recuperare statuebat, verum a Regina Scotiæ Administra jussus in Angliam irrupit, ac quibusdam velitationibus prospere succedentibus Anglos profligavit, & Galli una cum Scotis Novum-castrum usque penetrarunt, atque præda onusti recesserunt. Aliam adhuc victoriam de Anglis retulit Deslius Comes; eorum enim ferme octingentos partim trucidavit, & partim captivos abstraxit. Hic tandem fuit hujus expeditionis exitus, qua finita hic idem Scotiæ Bellidux supremo exercitus imperio exutus fuit, cum enim Regina Mater, ac Prorex varias in eum querelas proferrent, ei revocato Paulus Termus subrogatus, ac centum cataphractorum, leviorisque armaturæ ducentorum Equitum, nec non mille peditum suppetiis auctus est. Sub idem tempus Montlucius Valentini Antistes a sua Constantinopolitana Legatione redux in Scotiam venit, ut Cancellarii titulo

titulo insignis Senatui præeffet: cum <sup>æcul. XVI.</sup>  
 vero sua obsequia huic Nationi minus <sup>SA. C. 1548.</sup>  
 accepta cerneret, haud diu ibidem mo-  
 ratus, brevi in Franciam contendit. Ce-  
 terum hoc bellum duos adhuc annos  
 tenuit, ac nonnisi Anno reparatæ salu-  
 tis quingentesimo quinquagesimo supra  
 millesimum sancito pacis fœdere finem  
 obtinuit.

§. LVIII.

*Connubii licentia ab Angliæ Senatu  
 Sacerdotibus data.*

**I**nterea in Anglia ad decimam quintam <sup>Sanderus de</sup>  
 Octobris diem Senatus indicebatur: <sup>schism. Angl.</sup>  
 ast nonnisi vigesima quarta Novembris <sup>l. 2. p. 267.</sup>  
 præpediente pestis violentia hic conven-  
 tus celebrari potuit. Primæ illius Ses-  
 siones stabiliendis Sacerdotum conju-  
 giis infumebantur, ac primo quidem  
 duntaxat proponebatur, etiam conju-  
 gatis sacri Presbyteratus Ordinem su-  
 scipiendi facultatem esse concedendam,  
 quæ propositio tribus omnibus vicibus,  
 nimirum tertia, quinta & sexta Decem-  
 bris die fuit prælecta. Postmodum a-  
 liud condebatur statutum, vi cujus Pres-  
 byteris matrimonium ineundi libertas  
 concedebatur. Hæc decreta inferior,  
 quem *communem* appellant, Angliæ Se-  
 natus re in quinque Sessionibus probe  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. U u dis-*

Sæcul. XVI

A.C. 1548

discussa approbavit, eaque ad Regni Proceres transmissit, qui hæc statuta usque ad nonam Februarii diem anni sequentis in Curia reliquerunt, & tandem eadem bis prælecta remiserunt ad quosdam Deputatos, erantque isti Helinensis, & Westmonasteriensis Episcopi, supremus justitiæ Minister, ac generalis Regis Advocatus. Porro die decima nona Februarii omnes Curiae Patres hæc decreta rata habuerunt, obstrepebant tamen novem Episcopi, Londinensis, Dunhelmensis, Norvicensis, Carleolanus, Herfordiensis, Vigorniensis, Bristolensis, Cicestriensis, & Tassensis præter alios quatuor Optimates Morlajum, Dacrem, Vindeforium, & Whartonum: Ipse tamen Rex suo consensu huic impietati suffragatus est, adeo, ut illo tempore, quo regno Rex puer præfuit, ac quidam Protector novæ hæresis veneno ebrius fuit, Sacerdotes a continentiae legibus, & Monachi ab omnibus suis votis solverentur, atque ex sexdecim Ecclesiasticorum millibus, quibus tum Clerus Anglicanus constabat, nequidem expleto Eduardi sex annorum regimine ex quatuor partibus tres cœlibatui nuntium mittere adigerentur.

Huic Senatus edicto præfigebatur præfatio, in qua præcipue hæc exponerentur capita „ I. Præstaret quidem,

„ us

Sæcul. XVI.

A.C. 1548.

„ ut Sacerdotes, aliique omnes Eccle-  
 „ siæ Ministri continentiam colerent  
 „ extra Matrimonium, quam quod illud  
 „ contraherent. II. Longemelius tunc  
 „ ministerii sui officiis defungerentur,  
 „ eoquod rei domesticæ cura illis pau-  
 „ ciores animi evagationes ingereret.  
 „ III. Optandum foret, ut omnes cæli-  
 „ batum colerent. IV. Nihilominus con-  
 „ sultius videtur, eisdem matrimonii u-  
 „ sum permittere, quam prohibere, eo-  
 „ quod cælibatus necessitas illos ad va-  
 „ rii generis impudicitias induceret,  
 „ totque mala procrearet. V. Hanc  
 „ ob rem revocata sint omnia decreta,  
 „ & Canones, quibus matrimonia Ec-  
 „ clesiasticis prohibentur. VI. Proin-  
 „ Clerici, cujuscunque Ordinis sint, le-  
 „ gitime connubio sese jungere valeant,  
 „ dummodo ea juxta Ecclesiæ Angli-  
 „ canæ statuta ineant. „ Huic legi  
 „ specialis hæc adjiciebatur clausula:  
 „ *Quoniam vero post sex articulorum edictum*  
 „ *matrimonia plurimum Sacerdotum tanquam*  
 „ *non valida, ac nulla fuerint declarata, ac*  
 „ *certo certius eorum uxores ita separatæ*  
 „ *alibi ad secundas nuptias transierint, hinc*  
 „ *ejusmodi divortia, atque effectus inde pullu-*  
 „ *lantes in suo robore persistent.* Hæc  
 „ igitur causa cum fuisset coram Clero  
 „ Anglicano proposita, ex potissimorum  
 „ sententia, ac suffragio fuit approbata.

U u 2 §. LIX.



Sæcul. XVI.

A.C. 1548.

§. LIX.

*Nova Liturgia per edictum confirmata.*

His ita sancitis Senatus primas eorum intendit, ut novus Divini officii ritus publica etiam auctoritate firmaretur; quam in rem edicti proximo promulgandi norma die nona Decembris inferiori Curiae, altera autem die Proceribus exhibebatur: verum ea res indecisa permansit usque ad proximam diem decimam quintam Januarii, in qua tamen rursus Derbyensis Comes, ac Londinensis, Dunhelmensis, Norwicensis, Carleolanus, Herfordiensis, Vigorniensis, Westmonasteriensis, & Cestriensis Episcopi præter duos Nobiles Dacrem, & Vindesorium contra Curiae statutum reclamarunt. In hoc edicto tanquam præcipuum hujus mutationis caput obtendebatur id, quod sequitur: „ cum variæ Divini cultus normæ in Ecclesia Anglicana invaluerant, ac non ita pridem Sacramentorum administratio æque, ac ceteræ Divini cultus partes, earumque celebrationes nullatenus conformi ubique ratione fuissent peractæ, nec eadem quo minus populi sensim a stabilitis usibus desciscerent, impediri potest

„ potuerint, & Rex ejusmodi Novatores <sup>Sæcul. XVI<sup>o</sup></sup>  
 „ castigare neglexerit, eo quod illos re- <sup>A. C. 1548.</sup>  
 „ cto animi consilio ad id impulsos cre-  
 „ deret, hinc tandem Cantuariensis Ar-  
 „ chiepiscopus, alique Episcopi, ac  
 „ Theologi eruditione clari ex Prote-  
 „ ctoris, ac Senatus consilio a Rege  
 „ nominati certam Divini officii ratio-  
 „ nem in universo Regno servandam  
 „ præscribere jussi sunt, ita tamen, ut  
 „ ex Regis mandato doctrinæ Christia-  
 „ næ puritatem in sacris Literis con-  
 „ tentam servare, simulque primitivæ  
 „ Ecclesiæ usum respicere adstringe-  
 „ rentur: Hoc itaque opus tandem hi  
 „ Deputati unanimi consensu, atque  
 „ assistente Spiritu Sancto feliciter per-  
 „ fecerunt (\*). „

„ His

(\*) Ecce ! qualiter Pseudo-Politici, ac hæ-  
 retici omni tempore edicta, quæ Principis sui  
 imbecillitate, aut indulgentia abutentes tan-  
 quam legitima auctoritate condita divulgant,  
 sub schemate pietatis, & zeli, ac Evangelicæ  
 puritatis, necnon majoris perfectionis, ac sub  
 restitutæ disciplinæ Ecclesiasticæ, vel Monasti-  
 cæ obtentu venditare consueverint, etiamsi e-  
 jusmodi edicta ab eis unice eo ex fine fue-  
 rint fabricata, ut sensim incautos a vera Reli-  
 gione abstrahant, & fidelibus sacrarum rerum  
 tædium, nauseam, & vilipensionem inspirent,

Sæc. XVI.

A.C. 1548.

„ His ita constitutis Regius Senatus tam novo Officio, quam rebus in  
 „ eo aut retentis, aut mutatis sedulo  
 „ examine discussis ob paternam hanc  
 „ sollicitudinem summas, quas potest,  
 „ Regi grates rependit, simulque rogat,  
 „ ut omnibus illius subditis, qui hac in  
 „ occasione se reos fecere, veniam ele-  
 „ menter impertiri velit, exceptis ta-  
 „ men iis, qui in Londinensi Turri vin-  
 „ culis onusti detinentur: postea vero  
 „ Senatus decernit I. A die proximi  
 „ Festi Pentecostes Divinum Officium  
 „ ubique juxta novum hoc statutum  
 „ celebrabitur. II. Ecclesiastici, qui se-  
 „ se huic decreto non conformaverint,  
 „ trimestri carcere punientur, ac unius  
 „ anni redditibus suorum beneficiorum  
 „ privabuntur, si prima vice hanc le-  
 „ gem fuerint transgressi, si vero secun-  
 „ do id fieret, tunc ipsa etiam benefi-  
 „ cia amittent, ac integro anno in vin-  
 „ culis detenti hærebunt: tertia de-  
 „ mum vice perpetuo carcere castiga-  
 „ buntur. III. Hi vero, qui novum hoc  
 „ Offi-

ac sacrilegos ausus suos, falsas doctrinas, &  
 hæreses publicæ auctoritatis velamine conte-  
 ctas ejusmodi edictis in usum deducant, quin  
 recte sentientes ob metum pœnæ, ac læsæ Ma-  
 jestatis suspensionem falsum detegere, ac veritatem tueri audeant,

„ Officium scripto, aut libris publice e-  
 „ vulgatis impugnabunt, vel Ecclesia-  
 „ sticos ab acceptando hoc decreto im-  
 „ pedire præsumant, ex Senatus sen-  
 „ tentia centum triginta libras multæ  
 „ nomine pro prima transgressione,  
 „ pro secunda vero eandem sum-  
 „ mam duplicato numerandam pen-  
 „ dent, pro tertia denique omnibus  
 „ bonis suis proscripti perpetuo car-  
 „ cere punientur. „ Alio autem e-  
 „ jusdem edicti articulo Senatus per-  
 „ misit, ut Divinum officium latino, vel  
 „ etiam Græco sermone in Universitati-  
 „ bus recitetur, excepto Officio pro S. Com-  
 „ munionem. Denique ibidem etiam fuit  
 „ declaratum, quod simul etiam alios Psal-  
 „ mos, ac preces adhibere liceat,  
 „ dummodo illæ ex sacris literis sint de-  
 „ promptæ, atque aliunde nova hæc Offi-  
 „ cii norma in usum deducatur. Hæc  
 „ indulgentia respiciebat consuetudinem  
 „ recens introductam, vi cujus Psalmos  
 „ ferme semper decantari usuvenerat,  
 „ quamprimum hi in carmina redacti An-  
 „ glico idiomate prodierunt. Porro, cum  
 „ Senatui a die vigesima secunda Decem-  
 „ bris usque ad secundam Januarii Anno  
 „ salutis millesimo quingentesimo nono  
 „ Sessionis terminus fuerit præfixus, de  
 „ ceteris ejusdem statutis non nisi anno  
 „ sequenti mentionem faciemus.

U u 4

§. LX.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1548.

Sæcul. XIV.

A.C. 1548.

§. LX.

*Lutheri hæresis in Poloniam  
inveſta.**Lubien. hiſt.  
Ref. Eccl.  
Polon. 1.5.*

Postquam hoc anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Sigismundus Augustus Patri suo successerat, haud quaquam pari conservandæ Religionis Catholicæ studio accensus, nimis vecorde tolerabat, quod Lutheri hæresis sensim sese in ejus regno diffunderet: cum enim Rex rebus gerendis minus idoneus publicis negotiis vacare plurimum abhorreret, hanc Regis fœcordiam dextre hæretici in rem suam vertebant, eorum vero audaciam præcipue acuebat immodicus amor, quo Rex Barbaram de Radzivil Georgii Vilnensis Præfecti filiam, ac Gastoldi Lithuani Palatini viduam deperibat: cum enim hanc foeminam obnitentibus ferme cunctis regni sui Proceribus ducere vellet, nullum aliud immoderatæ libidinis suæ præſidium repererat, nisi in illis, qui aut spuriam reformationem profitebantur, aut saltem eidem favebant, unde illis in præstiti obsequii præmium permiserat, ut suas proles ad hæreticas Germaniæ Universitates transmittere possent.

§. LXI.

## §. LXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.*Quorundam molimina pro hæresi  
stabilienda in Italia.*

Interea numerus eorum, qui novam Re-  
formationem amplectebantur, etiam in Italia excrescere cæperat; jam enim anno Christi millesimo quingentesimo quadagesimo quadraginta Viri generis nobilitate, dignitatum auctoritate, ac ingenii præstantia ceteris magis conspicui Vicentiæ. quæ ditionis Venetæ urbs est, quamdam veluti Academiam erexerunt (\*) eo fine, ut Religionis capita præcipue ea, quæ tum magis controversa erant, juncta opera

discu-

*Lubienischi  
hist.ref. Eccl.  
Pol.  
Biblioth.  
Antitrin.  
p. 18.*

(\*) Hoc loco luculentum suppeditatur argumentum, quam nocivæ sint privatæ ejusmodi societates, vel Academiæ, quando iis præfunt Viri vel de fide suspecti, aut omnino a vera Religione alieni, etiamsi sese exterius Catholicos esse mentiantur, præcipue, si eis impune quæcunque discutiendi, ac typis quoque divulgandi libertas conceditur, vel etiam permittitur, ut Catholicorum filii ad ejusmodi Academias mitti possint, nunquam reversuri, nisi aut hæresi infecti, aut saltem perniciosis principis imbuti, ac moribus depravatis corrupti.

U u 5

Sæcul. XVI. A.C. 1548. discuterent, cum vero nullo fræno intra fidei, ac submissionis Ecclesiæ debitæ limites coercerentur, potissimos fidei nostræ articulos in dubium revocandi libertatem sibi arrogarunt, ac præprijis Filium Dei divinam naturam habere inficiabantur, eumque duntaxat hominem ceteris superiorem, nec tamen de Virgine ex Spiritus Sancti operatione natum affirmabant, interim illum ex Dei mandato ad peccatorum remissionem nobis procurandam mortuum, nec non per Patris potentiam resuscitatum, atque in cœlis esse gloriosum asserabant, nec minus admittebant, quod omnes, qui huic Christo Domino obtemperant, ex parte Dei justitiam consecuturi sint, omnesque, qui eundem colunt, in ipso etiam immortalitatem, quam in Adamo amiserunt, recuperaturi sint: Denique tradebant, quod hic solus sit Dominus, ac populi ipsi subiecti caput, Judexque vivorum, & mortuorum, illumque in consummatione sæculorum iterum esse venturum profitebantur. Ex solis hisce articulis tota eorum Religio constabat, cetera vero omnia tanquam Græcæ Philosophiæ capita ad fidem nihil attinentia vilipendebant.

## §. LXII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.*Decretum contra Hæreticos a Venetis  
innovatum.*

Verum hæc conventicula tam secreto *Thou hist.*  
celebrari haud poterant, ut Reipu- *l. 4. n. 7.*  
blicæ adeo bene ordinatæ, & providæ,  
qualis est Veneta, vigilantiam effugere  
valerent, hinc Senatores funesta prorsus  
mala, quæ individuo nexu novitates in  
Religionis materia introductas conse-  
quuntur, veriti, decretum contra eos,  
qui ejusmodi cætibus interessent, pro-  
mulgarunt, illosque comprehendere jusse-  
runt: igitur eorum duo Julius Tarvisanus,  
& Franciscus de Rugo capti, ac  
pronuntiata mortis sententia suffocati  
perierunt: Okinus vero, Lelius, Soci-  
nus, Pazula, Gentilis, Jacobus Clariensis,  
Alciatus, Abbas Leonardus fuga sibi  
consulentes, partim ad Helvetios, partim  
ad Turcas, aut alias gentes secesserunt.  
Porro crescente hæresis periculo Respublica  
die vigesima Julii hujus anni edictum  
quoddam innovare cogebatur, quod Anno  
Christi millesimo quingentesimo vigesimo  
primo jamjam condiderat, eo tempore, quo  
in Brixienfi ditione non minus severe in  
suspectos de hæresi inquire jusserat, perinde  
ac si venefici fuissent: nam hoc decreto omnibus

mnibus



Sæcul. XVI. A.C. 1548. omnibus injunctum, ut libros hæreticos, si quos tenerent, intra octo dierum spatium ad hoc Deputatis consignent, si secus fecerint, post sedulam in eos inquisitionem rei cum omni poenarum severitate castigandi denunciabantur. Ut vero eo facilius ejusmodi homines detegerentur, eodem edicto cautum erat, ut non modo accusatores nunquam proderentur, sed etiam largis omnino præmiis augendi sint. Hoc edictum a Republica condebatur ad preces Nuntii Apostolici, addita tamen hac conditione, ut nec soli Episcopi, nec Inquisitores de hoc crimine cognoscere possent, sed Gubernatoribus, ac locorum Judicibus adhibitis ad hoc Tribunal appellare tenerentur, eo fine, ut testes examinarentur; de cetero autem sedulo caveant, ne sub Religionis obtentu Reipublicæ subditi divexarentur.

## §. LXIII.

*Venetorum fervor contra Paulum Vergerium.*

*Sleid. comm.*  
*lib. 21. p. 749.*  
*Maurocen.*  
*hist. Venet.*  
*l. 6.*  
*Thu. l. 5 n. 7.*  
*Spond. hoc*  
*an. n. 23.*

**H**aud segnius Religionis studium Veneti præseferiebant in causa Petri Pauli Vergerii Justinopolitani Episcopi; hic enim jam dudum de nova hæresi suspectus, tandem latens nequitiae venenum palam effudit: ast sacrae Inquisitionis

fitionis severitatem veritus primo Mantuam, ac postea Tridentum auf fugit, ubi tamen a Synodi accessu excludebatur. Hac repulsa commotus Venetias se contulit, inde vero brevi excessit, securum apud Grifones asylum quæsiturus. Paduam delatus, cum ibidem haud diu moraretur, ocularis exstitit testis divinæ vindictæ, qua Franciscus Spiera Advocatus, hujusque urbis Jurisconsultus in summa desperatione mortuus plectebatur, quamvis Lutheri hæresin, cui nequiter nomen dederat, coram Joanne Casa Beneventano Archiepiscopo ejurasset. Hujus itaque supplicio territus Vergerius, ac gravius adhuc Inquisitorum vigilantiam pertimescens primo in agrum Bergomatem secessit, atque inde ad Rhætos, seu Grifones abiit, priusquam vero ex Italia excederet, ejus Frater Juliæ - Pietatis Episcopus non sine propinati veneni suspicione obiit. Ceterum Vergerius ad Grifonum ditionem delatus aliquamdiu in Telina valle Ministri, seu Præconis munere functus, demum a Christophoro Wirtembergico Duce Tubingam evocatus est.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1548.

*Pallav. hist.*  
*Conc. Trid.*  
 l. 15. c. 10. n. 13

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

§. LXIV.

*Franciscus Borgia Gandiæ Dux Societatem ingressus.*

*Orland. in  
hist. Soc l. 7.  
n. 55. & lib. 8.  
n. 69.  
Vie de Franc.  
de Borgia  
par le P.  
Vergius  
Ribadin. vita  
Franc. Borg.*

Hoc item anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Franciscus de Borgia Gandiensium Dux Sancti Ignatii Institutum amplexus est. Jam anno priori idem sanctus Fundator hunc Principem suis fociis aggregandi licentiam a Papa impetraverat, eo quod is post conjugis suæ mortem Societatem ingrediendi voto sese obstrinxisset: obtenta itaque Pontificis facultate Borgia Dux in Palatii sui Sacello sua vota hoc eodem anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo octavo non nisi paucis præsentibus exsolvit, cum prius a summo Pontifice veniam obtinisset, ut hæc vota necdum depositis dignitatis suæ insignibus nuncupare, suaque bona per triennium adhucdum retinere posset.

§. LXV.

*Quorundam molimina pro supprimendo sacrorum exercitiorum libello per D. Ignatium conscripto.*

Quamvis sacrorum exercitiorum liber, quem D. Ignatius conscripserat,  
Borgiae

Borgiæ Ducis animum intimo sensu Sæcul. XVI.  
A C. 1548.  
movisset, eique ingentem erga Jesuitas  
affectum inspirasset, nihilominus non  
deerant, qui asceticum hoc opusculum  
impugnarent, quos inter Joannes Mar-  
tinez Silicæus Toletanus Archipræsul  
periculosam in eo doctrinam contineri  
existimabat, ac propterea harum exer-  
citationum usum in Hispania supprime-  
re moliebatur: Verum sanctus Ignatius  
re comperta hujus propositi executio-  
nem præpedire conatus, tantum effecit,  
ut hic libellus die ultima Mensis Julii  
Anno salutis nostræ millesimo quingen-  
tesimo quadragesimo octavo per Ponti-  
ficis diploma ratus haberetur: Perci-  
piamus Pontificiæ hujus Bullæ teno-  
rem.

## §. LXVI.

*Diploma Pauli III. Pontificis hunc  
libellum approbantis.*

*Pastoralis officii cura, in universum Christi* Orland. l. 8.  
n. 5 ad ann.  
1548.  
*gregem nobis commissa & divinæ glo-  
riæ, ac laudis amor facit, ut ea quæ salu-  
tem animarum, & spiritualem earum pro-  
fectum juvant, amplectentes, vota eorum,  
qui aliquid, quod fovere & nutrire pie-  
tatem in Christi fidelibus valeat, a nobis ex-  
poscunt, ad exauditionis gratiam admitta-  
mus. Cum ergo (sicut dilectus filius, no-  
bilis vir, Franciscus de Borgia, Dux Gan-  
diæ,*

Sæcul. XVI. diæ, nobis nuper exponi fecit) dilectus si-  
 A.C. 1548. lius Ignatius de Loyola, Præpositus Ge-  
 neralis Societatis Jesu, per nos in alma Ur-  
 be nostra erectæ, & per nos Auctoritate  
 Apostolica confirmatæ, quædam documenta,  
 sive Exercitia spiritualia, ex sacris Scri-  
 pturis, & vitæ spiritualis experimentis  
 elicitæ, composuerit, & in ordinem, ad pie  
 movendos fidelium animos, aptissimum rede-  
 gerit, illaque Christi fidelibus, ad spiritus-  
 lem consolationem, & profectum magno-  
 pere utilia & salubria esse, non solum fama,  
 ex plurimis locis allata, prædictus Fran-  
 ciscus Dux didicerit; sed etiam experimen-  
 to manifesto, tum Barcinone, tum Valen-  
 tiæ, tum Gandiæ, id compertum habue-  
 rit. Quare idem Franciscus Dux nobis  
 humiliter supplicari fecit, ut documenta  
 & spiritualia exercitia prædicta, quo latius  
 eorum fructus pateat, & plures Christi fi-  
 deles majori cum devotione ad utendum illis  
 invitentur, examinari facere, & si appro-  
 batione & laude digna inveniremus, ap-  
 probare & laudare, aliasque in prætermissis  
 opportune providere de benignitate Aposto-  
 lica dignaremur. Nos igitur, qui docu-  
 menta & exercitia hujusmodi examinari  
 fecimus, & quæ testimonio, ac relatione  
 dilecti filii nostri, Joannis Tituli S. Cle-  
 mentis, Presbyteri Cardinalis, Burgensis E-  
 piscopi, ac hæreticæ pravitate inquisitoris,  
 & venerabilis fratris nostri Philippi Salu-  
 crianus

ciarum Episcopi, ac dictæ Urbis nostræ in Sæcul XVI.  
 spiritualibus Vicarii Generalis, nec non di- A C. 1548.  
 lecti filii Ægydii Foscararii, nostri sacri Pa-  
 latii Magistri, nobis desuper facta, pietate  
 ac sanctitate plena, & ad ædificationem, &  
 spiritualem profectum fidelium valde utilia  
 & salubria esse & fore comperimus: de-  
 bitum etiam respectum ad fructus uberes,  
 quos Ignatius, & ab ipso instituta Societas  
 præfata, in Ecclesia Dei ubique Gentium  
 producere non cessant, & ad maximum  
 adjumentum, quod ad id prædicta exercitia  
 attulerunt, non immerito habentes; hujus-  
 modi supplicationibus inclinati, documenta,  
 & exercitia prædicta, ac omnia & singula  
 in eis contenta, auctoritate prædicta, te-  
 nore præsentium, ex certa scientia nostra, ap-  
 probamus, collaudamus, ac præsentis scripti  
 patrocinio communimus: hortantes pluri-  
 mum in Domino omnes & singulos, utrius-  
 que sexus, Christi fideles ubilibet constitu-  
 tos, ut tam piis documentis & exercitiis uti,  
 & illis instrui devote velint, nec non  
 concedentes, ut hujusmodi documenta, &  
 spiritualia exercitia imprimi, a quocunque  
 bibliopola per prædictum Ignatium eligendo,  
 libere & licite valeant: ita tamen, ut post  
 primam editionem, sine consensu ejusdem I-  
 gnatii, vel successorum ejus, nec ab hoc, nec  
 ab alio omnino, sub excommunicationis, &  
 quinquaginta ducatorum piis operibus ap-  
 plicandorum, pæna imprimi possint, ac  
 Hist. Eccles. Tom. XXXIX. X x man-

Sæcul. XVI. *mandantes nihilominus universis, &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die ultima Julii Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Pontificatus nostri anno decimo quarto.*

## §. LXVII.

*Messinense, ac Panormitanum Societatis Collegium recens erectum.*

*Orland. l. c. n. 7.* **O**btenta hac Pontificis approbatione mox præfatus libellus ex Hispano in latinum idioma translatus typis edebatur juxta Andreæ Frusii versionem, eoquod hic penitus Auctoris mentem assecutus, ejusque versio usui aptior, ac prælo dignior censeretur. Nova hæc editio hunc librum magis, quam unquam celebrem reddidit, ejusque Auctori adeo magnum comparavit nomen, ut ubique ejusdem socii expeterentur, nam Ludovicus Mendoza Tiburtinus Collegium in sua urbe eisdem construxit, & Joannis quoque de Vega Siciliae Prorex vix Messinam pervenerat, cum illico aliud Collegium erigere statueret. Panormitani etiam Messinensium exemplum imitabantur, hæcque duo Collegia post Gandense prima erant, in quibus scientiæ publice tradebantur. Porro ad horum Collegiorum regimen feligebantur Petrus Canisius  
natione

natione Germanus, Andreas Frufius Sæcul. XVI.  
 Gallus, Hieronymus Nidal, aliique, A.C. 1548.  
 quos, priusquam discederent, ipse Sanctus Ignatius pro petenda benedictione Pontifici exhibuit, iique ab eodem summa benevolentia excepti, ad errores strenue impugnandos admoniti fuere.

§. XLVIII.

*Societas per S. Ignatium a Melchioris Cani accusationibus vindicata.*

Nihilominus Melchior Canus ex Orland. n. 45  
 dine S. Dominici Theologus scientiæ & seqq.  
 ac probitate longe clarissimus novæ hujus Societatis progressus sibi suspectos habebat, simulque eandem aliis suspicionem ingerere satagebat: unde ulteriora illius incrementa, quantum in ipso esset, præpedire nitebatur, ac contra hanc societatem recens natam, late tamen diffusam, nescio, quæ sinistra divulgabat præfagia, vi quorum universæ Ecclesiæ funesta admodum impenderent mala, eorumque causa, & origo D. Ignatii Discipuli essent extituri; verum quamvis hæc vaticinia haud magis vera esse viderentur, quam ejusdem hujus Religiosi somnia, quæ de proximo mundi interitu, atque Anti-Christi adventu sparserat, ejus tamen verbis ob Viri eruditionem, pietatem,



**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1548**

ac Religionis studium haud leve auctoritatis pondus accefferat.

Cum ergo Ignatius hanc procellam societati suæ noxiam fore pertimesceret, Hispaniæ Patribus perscripsit, ut Apostolicum novi Instituti Diploma Melchiori Cano exhiberent, eique modeste exponerent, quod regnum Christi in se divisum foret, si ejus Vicarius societatem ipsimet Christo Domino oppositam approbasset, ac Paulus III. Papa ejusmodi Antichristi Præcursoribus duos, tanquam suos Theologos ad Tridentinam Synodum misisset, ac horum unum pro suo in Indiis Legato Apostolico selegisset. Eodem pariter tempore Ignatius in Hispaniam transmisit quædam apographa illarum sententiarum, quæ in favorem suæ societatis pronuntiatæ fuerunt, illisque adjunxit Diploma Pontificis, quo Salmanticensi Episcopo injunctum erat, ut hujus Instituti honorem defenderet: verum his omnibus argumentis Melchior Canus nullatenus e sua sententia dimoveri potuit.

§. LXIX.

*Francisci Xaverii labores Apostolici  
Goæ.*

*Orland 18.* Magis prospera fortuna Goæ utebatur Franciscus Xaverius, qui ex  
*n. 111. & 112.* Mala-

Malacensi Insula ineunte hoc anno il-  
 luc advenerat, postquam in Insula Cei-  
 lana aliquamdiu moratus plures Chri-  
 sto lucrificerat, quos inter præcipuus  
 erat Candæ Rex, qui sincero admodum  
 animo, atque ab omni propriæ utilitatis  
 studio alienus Catholicæ Religioni no-  
 men dedit. Inde Cocinum delatus Xa-  
 verius, datis Romam, ac in Lusitaniam  
 literis Evangelici laboris socios sibi trans-  
 mitti rogavit: cum vero Cocino sol-  
 visset, Crangonorum urbem cis Benga-  
 læ sinum sitam delatus, factis inde ve-  
 lis tandem, ut testatur Turfelinus, *Goam*  
*Martio Mense hujus anni jam inito perve-*  
*nit.* Erant tum in Goano Collegio e  
 Societate complures, quibus P. Nico-  
 laus Lancellotus tanquam Rector præ-  
 erat, Franciscus autem Perez Alumno-  
 rum Magister, ac P. Paulus illorum cu-  
 stos erat: ab his igitur omnibus Xave-  
 rius tanquam communis Pater ingenti  
 gaudio exceptus, ibidem prompte cun-  
 cta Indæ Ecclesiæ negotia composuit,  
 suosque Socios in varias continentis  
 Provincias, atque Insulas emisit, ac u-  
 nicuique ex iis, quos adhuc ex Europa  
 adventantes expectabat, munia, & di-  
 versoria assignavit, cumque Joannes Ca-  
 strus Indiæ Prorex malevolorum ser-  
 monibus excitatus minus, quam antea  
 Societati faveret, eundem feliciter pla-

Sæc. XVI.  
 A. C. 1548.

*Turfelin in*  
*vit. S. Franc.*  
*Xav. l. 3. c. 14*  
*Maff hist l.*  
*l. 13. sub finem*

Sæcul. XIV. cavit, atque, ut fertur, eidem animam  
 A.C. 1548. agenti adstitit. Pariter duos percele-  
 bres Lusitanos ad meliorem vitæ fru-  
 gem reduxit, expletisque hisce labori-  
 bus longo itineri Japoniam versus sese  
 accinxit, annoque sequenti Mense Aprili  
 conscensa navi eo contendit, spretis et-  
 iam suorum Amicorum monitis, qui  
 eum exposito imminente vitæ periculo  
 ab hac navigatione absterrere sata-  
 gebant.

## §. LXX.

*Jesuitæ ad Congi Regnum a Lusitano  
 Rege prædicatum missi.*

*Orland. l. 7.* Jam anno priori Lusitaniæ Rex quos-  
*n. 76. l. 8. n. 94* dam Viros Apostolicos e Societate  
*. 13. n. 53.* ad Congum miserat. Hoc Africae re-  
 gnum meridiem versus respicit Monomo-  
 tapam, ac Casrorum oras, a Septentrio-  
 ne autem ad Negritarum regionem in-  
 clinat. Porro illi quatuor Verbi Divini  
 Præcones erant, Georgius Vazjus Apo-  
 stolicæ Legationis princeps, Christo-  
 phorus Riberius, Jacobus Diatius, &  
 Jacobus Sotteralius, qui amplam in hoc  
 regno laboris sui segetem colligere pot-  
 erant, eoquod ab obitu Regis Alphonsi  
 Catholica Religio magno exposita esset  
 discrimini. Equidem ipsemet hujus di-  
 tionis Princeps Christianorum sacris e-  
 rat initiatus, ejusque ope hi Patres non  
 sine

sine ingenti benevolentia excipiebantur, ac prædicando Evangelio obstacula facile superanda offendebant; tamen, cum idem Princeps nomine tenus tantum Catholicus esset, de cetero autem Christianæ Religionis exercitia penitus negligeret, hinc etiam, ut subditi Idololatriam profiterentur, nimia indulgentia permittebat, quin tamen fidem Catholicam penitus aboleret. Hanc ob rem prosperis horum Patrum auspiciis minime respondit Apostolici laboris successus; quippe ob inconstantem Regis animum una omnes postea e Regno ejecti fuere.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

## §. LXXI.

*Bartholomæi de las Casas querelæ  
ob crudelitates in Indiis ab Hispanis commissas.*

Cum in Indiis per Hispanorum crudelitatem, atque avaritiam Religioni Catholicæ haud leve damnum inferretur, Bartholomæus de las Casas Ord. FF. Prædicatorum hac super re coram Caroli V. Senatu vehementer querebatur. Hic idem Religiosus jam anno ab hinc millesimo quingentesimo quadragésimo quarto Chiapanum Episcopatum acceptaverat, ac per integros quadra-

Sandoval  
hist. Caro. V.  
Garcilaso  
hist. des Incas.

X x 4 ginta

Sæcul. XVI. ginta annos incredibili prorsus studio In-  
 dos ad Christi fidem perducere adlabo-  
 rabat, dirasque, quibus vexabantur,  
 calamitates miseratus pari cum eis do-  
 lore acerbitatem jugi, quo premeban-  
 tur, sentiebat, hinc eorum salutem,  
 nisi in primis illorum libertati consule-  
 retur, efficaciter promoveri haud posse  
 ratus, pro hujus gentis levamine quæ-  
 cunque legitima media arripere statuit,  
 unde præprimis in Caroli V. Senatu  
 causæ suæ præsidium quærens, eidem  
 exposuit, quatenus Hispanæ Nationis  
 Viri suos clientes Indos acerbissimis cru-  
 delitatibus, atque injustitiis divexarent,  
 hancque in rem tanta verborum vehe-  
 mentia, totque horrendis argumentis  
 Hispanorum sævitiam descripsit, ut Im-  
 perator horum infelicium sortem mise-  
 ratus, Vallisoleti, ubi tum ejus Aula  
 agebat, pro Indorum securitate saluber-  
 rima conderet edicta, eaque in hac Re-  
 gione promulgari, ac transgressores fe-  
 verissimis poenis coerceri præciperet.  
 Verum omnes hæ leges Indis adeo pro-  
 ficuæ minime executioni dabantur; Gu-  
 bernatores enim Hispani, seu verius  
 Tyranni suas rapinas, ac violentias  
 exercere haud desistebant, quapropter  
 Chiapanus Antistes rursus Cæsarem de  
 hac Gubernatorum pertinacia certio-  
 rem reddi-

reddidit, quinimo librum etiam edidit, cui <sup>Sæcul. XVI.</sup> titulus: *De oppressione Indorum*. Hic liber <sup>A.C. 1548.</sup> Hispalensibus literis Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo excusus a Vallisoleto Collegio ad S. Gregorium, necnon a Salmanticensi, ac Complutensi Universitatibus fuit approbatus, demum vero ad diversa idiomata translatus.

## §. LXXII.

*Sepulvedæ apologia pro Hispanis Indos divexantibus.*

Ceterum hic Episcopus hac sua lucubratione unice intentus erat, ut solide confutaret rationes cujusdam Doctoris nomine Sepulvedæ, qui a nonnullis Hispanis, Indos tanta Tyrannide affligentibus sollicitatus erat, ut suæ Nationis causam strenue defendendam susciperet, ac præprimis affirmaret, quod ea agendi ratio divinis æque, ac humanis legibus consona, bellique juribus innixa esset, præcipue cum justæ in hosce barbaros hanc severitatem exercendi rationes Hispanis minime desint, dum illi fidem Christi amplecti renuunt, eo quod summus Pontifex hasce gentes Hispanorum potestati ea tantum lege subjecisset, ut illas ad Christiano-

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

rum sacra perducerent, pari ferme ratione, qua Dominus Deus terram Chanaan, illiusque incolas Israelitarum potestati subdiderat, ut ipsi cum illis agerent, prout eis bene visum fuerit. Paucis; inquiebat hic auctor, quamvis Hispani hanc erga Indos agendi rationem tenuissent, nihilominus eorum Regnum, ac incolas jure possident, cum ditiones etiam absque titulo, ac justitia possessæ temporis lapsu præscribantur. Porro ut iste vir huic suæ sententiæ ab Evangelii Doctrina, atque Apostolorum gestis adeo dissonæ, majus robur adderet, affirmabat, quod unice propugnare intendat ea jura, vi quorum Legionis, ac Castellæ Reges Indorum ditiones occupandi facultatem habent. Hunc suum librum regio Senatui pro obtinenda impressiois facultate obtulit, & quamvis Senatus ei hanc potestatem sæpius denegaret, eam tamen summis precibus efflagitabat, cum autem jamjam librum prælo subicere pararet, Chiappanus, ac Segobienfis Præfules sese huic ausui vehementer opponebant, eoquod in ejusmodi libro omnes crudelitates, quibus Indi vexabantur, tanquam æquissimæ jactarentur, indeque funesta admodum mala consequi possent.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548

*Theologi pro examinando Sepulvedæ  
libro nominati.*

Ferventibus hisce diffidiis plures in Hispania habebantur conventus, ac præprimis Regii Senatus Patres, cum hoc argumentum ad Theologiæ forum spectare crederent, Sepulvedæ librum penitus excutiendum ad Universitates Salmanticensem, & Complutensem remiserunt: Ergo circa annum Domini millesimum quingentesimum quadragessimum septimum huic examini initium datur, huncque librum nullatenus typis edendum, a Theologis decisum est, eo quod nonnisi perversa contineret dogmata: Verum Sepulveda eorum judicio minime aquiescens librum suum Romam ad quosdam amicos suos transmisit, a quibus etiam typis impressus prodiit. Re comperta Carolus Imperator hunc Sepulvedæ partum omnino suppressi, cunctaque exemplaria, quæ in ejus ditionibus reperirentur, aufferri præcepit: cum autem prohibere haud posset, quin eorum plura in vulgus spargerentur, hinc Chiappanus Antistes sui muneris esse censebat, ut edito libro, cuius supra meminimus, Sepulvedæ rationes confutaret: Igitur præprimis in

eo



Sæcul XVI.  
A.C. 1548.

eo fusius recenset crudelitates, ac tyrannides, quas Hispani in Regnis, atque Indiarum Provinciis exercuissent: cunctaque hæc scelera figillatim enarrat, atque Hispanos tanquam fidei, legum pietatis, ac Religionis expertes depingit, illosque magis inhumanos, atque in hosce populos ipsis etiam ferocissimis bestiis magis barbaros existisse ait. Postea libellum supplicem ad Carolum V. dirigit, eidemque exponit, quod crudelis ejusmodi agendi ratio justitiæ, Religioni, verisque Reipublicæ commodis recta adverfetur: insuper huic libello idem Author subjungit triginta propositiones, quæ quosdam circa Principum, & populorum jura articulos tangunt, iique sunt admodum singulares, ac curiosi, quos Dupinus fusius recenset.

Imperator cum hasce altercationes præcidi cuperet, tam Sepulvedæ suæ opinionis tenacissimo, quam Chiappano Episcopo permisit, ut coram Regio Indiarum Senatu causæ rationes ultro, citroque proferrent, hujus autem litis velut arbitrum Cæsar eo ablegabat Dominicum Soto, quem a Confessionibus habebat. Ambo hi contendentes per plures dies coram Senatu perorabant, atque Episcopus per integras quinque Sessiones solus causam suam defendebat;

bat; tandem vero Dominicus Soto rationes utrinque allatas ad epitomen redegit, & Senatus Chiappano Episcopo præcepit, ut omnes suas rationes scripto traderet ad Cæsarem transmittendas, quod & effectui datum. At Carolus Imperator aliis negotiis distentus, bellisque gravissimis obrutus rem indicisam reliquit, nihilque certi decrevit, ut proin Hispanorum crudelitates in Indiis fuerint saltem toleratæ, cum ergo Bartholomæus de las Casas hosce miseros juvandi spe decideret, Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo primo in Hispaniam reversus est, ac postquam per quinquaginta annos in hoc Regno fidem Catholicam indefesso studio propagasset, Episcopatum suum in manibus summi Pontificis abdicavit, & Madritum secessit, ubi quindecim adhuc annos vita superstes tandem anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, ætatis vero suæ octogesimo secundo animam Deo reddidit.

Sæc. XVI.  
A.C. 1548.

§. LXXIV.

*Sepulvedæ rationes a Francisco Victoria confutatæ.*

Paulo post Franciscus de Victoria celeberrimus Ordinis S. Dominici Theologus Sepulvedæ rationes intrepido  
Franc. de  
Theol.  
recoll. 5. § 9.  
§ 8.  
ac

Sæcul. XVI. ac liberrimo calamo confutavit, atque  
A.C. 1548. ex validis rationum momentis, aucto-  
 ritatisque testimoniis ea, quæ sequun-  
 tur, comprobata reddidit. I. Infulse hic  
 Doctor Israelitas, ac Chananæos con-  
 fert, cum inter clarum Dei mandatum,  
 & Pontificis definitionem ingens discrimen  
 intercedat. II. Pontificum nunquam  
 ea mens fuit, ut hæc gentes tam  
 crudelem in modum haberentur. III.  
 Nec ad illos æquiori jure, atque ad Cæ-  
 sarem pertinet Indorum Regiones dona-  
 re. IV. Si Pontifices quamdam in il-  
 los auctoritatem obtinent, ea non po-  
 test esse in bona temporalia, nisi dum-  
 taxat quatenus hæc tangunt bonum  
 spirituale, quamvis & hoc jus a mul-  
 tis Auctoribus in controversiam duca-  
 tur, qui disertis verbis tradunt, quod  
 Papa Regiones infidelium, ut ad fidem  
 convertantur, aliis donare nequeat,  
 eoquod nullam in eos jurisdictionem  
 habeat. V. Etiam si Indi auctoritatem  
 Pontificis agnoscere recusaverint, non  
 tamen hic propterea illis bellum inferre,  
 eosque bonis suis exuere, multo minus  
 vero vitam eis adimere potest: præci-  
 pue cum hi miseri Evangelio sese adeo  
 non opposuerint, ut potius ad Christi  
 doctrinam recipiendam valde propensi  
 fuissent, si cum minori severitate fuisset  
 habiti. VI. Etiam si fuerint Infide-  
 les,

les, ac criminibus obnoxii, propterea tamen non amittebant suorum bonorum dominium, itaque sub hoc prætextu nemo illos bonis ipoliandi, vel trucidandi jus habet, si ipsi nullam injuriam committunt. VII. Mercium commercia in eorum Regionibus haberi libere possunt, quin eis jugum imponatur, vel fraudes, dolique adhibeantur. VIII. Denique salutare quidem est, ut ad amplectendam fidem inducantur: id tamen fieri oportet per viam lenitatis, ac valida argumenta, non autem per vim, & metum, cum fides voluntate libera: nequaquam vero coacta suscipi debeat. His itaque rationibus ductus hic Religiosus vanos confutabat obtentus, quibus Hispani sibi persuadebant, quod hujus Nationis bona, ac Regionem usurpandi jure gaudeant.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.

§. LXXV.

*Carolus V. ex Germania in Flandriam profectus.*

Evoluto aliquot temporis intervallo *Sleid. l. 21.*  
Carolus V. relicta urbe Augustana *p. 746.*  
in Flandriam redire constituit, ut eo opportunius, si necessitas exigeret, Franciam invadere, cunctisque a Joanne Friderico Saxonie Duce, ac Hassie Landgravio forte attentandis promptius obvia-

Sæcul. XVI. obviare possent. Excipiebatur Carolus  
A.C. 1549 Bruxellis cum ingenti gaudio, ac singulari amoris testificatione, elapsisque nonnullis post adventum suum diebus Landgravium ductore Joanne de Guevara cum præsidio ducentorum Hispanorum Audenardam Flandriæ arcem captivum abduci, emenso autem unius Mensis spatio eundem ad Mechliniense castrum sub eodem præsidio transferri præcepit, ubi etiam captivus detinebatur, donec suam libertatem recuperasset: Joannes vero Fridericus Cæsarem, quocumque iret, valido milite cinctus comitari cogebatur. Postquam igitur Carolus totum Imperium suæ potestati plene subditum cerneret, Philippum Filium suum amplectendi solatio frui, ejusque merita suis Italiæ ac Belgii ditionibus cognita reddere cupiebat, quocirca illum aliquamdiu penes se detinuit, ut eum de rebus tranquillum regimen concernentibus instrueret. Igitur Philippus acceptis Patris sui jussis omni, qua potuit, celeritate Bruxellas contendit, illucque die prima Aprilis anno sequenti pervenit.

*Sleid. l. 21.  
p. 747.*

## §. LXXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C 1549.*Nova, sed frustranea molimina pro recuperanda Placentina urbe.*

Interea Synodi negotia haud fuere immutata; equidem Imperator Placentinam urbem, quam occupaverat, veluti validam ad sua vota Papam inclinandi illecebram fore censebat: attamen econtra inde Pontificis suspicio plus augebatur, magisque Cæsaris voluntati inserviendi animus crescebat, adeo, ut Pontifex hac in re nihil decidere vellet. Non deerant suorum fautorum non pauci, qui hanc tergiversationem oriri arbitrabantur ex vehementi desiderio, quo Placentinam urbem recuperare, eamque suæ familiæ sub honestis conditionibus vindicare cupiebat. Ea fuit Montani Cardinalis, aliorumque Præfulum Synodo adhaerentium opinio: Verum illi, qui accuratius Pontificis mentem inspiciebant, longe aliter sentiebant, nec temere divinabant, quod in rebus controversis cunctatio argumentum sit prudentiæ, eaque ad optatum finem eo securius perducatur. Hinc Paulus III. hoc negotium maluit ulteriori discussioni relinquere, idque medium supremo Ecclesiæ capiti magis decens, minusque periculosum fore.

*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Y y re*

Sæcul. XVI re censuit, quam ob rem Julium Ursi-  
A C. 1549. num ad Cæsarem ablegavit. Hic vero  
 optima spe plenus rediit, totum hoc ne-  
 gotium feliciter peractum esse ratus.

## §. LXXVII.

*Cæsar de Ecclesie juribus in Placen-  
 tinam urbem edoceri postulans.*

*Pallav. n. 2.* Enimvero Carolus V. ipsis Papæ Le-  
 gatis sagacior Bertrano Faenensi  
 Episcopo hæc significari iussit: „Cæsar,  
 „ut conscientiæ suæ tranquillitati, ac  
 „publicæ famæ consulere, simulque co-  
 „gnosceret, an apto quodam remedio  
 „summi Pontificis voto, sine proprii ta-  
 „men honoris detrimento satisfacere pos-  
 „set, noscere cupit, quonam demum ju-  
 „re Parmam, & Placentiam Sedes Apo-  
 „stolica repeteret. Utebatur Imperator  
 hac agendi ratione, ut providus oppor-  
 tunam consiliis suis moram adimplere-  
 tur, spe fretus, quod Pontifex, utpo-  
 te gravi senio pressus, prius decederet,  
 quam hujus litis decisio expectari pos-  
 set; haud enim, quid rei subesset, ig-  
 norabat, cum de Sedis Apostolicæ ju-  
 ribus forte melius, quam ipsemet Pon-  
 tifex edoctus esset.

Nihilominus Papa comperto Cæsa-  
 ris petito responsum reddere cunctaba-  
 tur, haud ignarus, *Judicia de jure ditio-*  
 num

*num semper esse turbida, ac diuturna, adeo-* Sæcul. XVI.  
*que ei, qui rem non possidet, incommoda,* A.C. 1549.  
*multoque magis, cum ejusdem possessor obti-*  
*net judicis potestatem. Quapropter per*  
 suum Nuntium hæc Cæsari significari  
 fecit: „ Præterquam quod Sedi Apo-  
 „ stolicæ antiqua, ac tranquilla harum  
 „ urbium possessio suffragetur, eaque  
 „ sufficiat, plura adhuc alia omnino le-  
 „ gitima eidem jura suppetunt, nulla  
 „ igitur necessitas petit, ut ad judicii  
 „ normam hæc jura exponerentur, nisi  
 „ prius ante omnem judicis sententiam  
 „ Placentia Sedi Apostolicæ reddere-  
 „ tur. „ Paulopost Imperator Nuntio  
 istud Papæ responsum deferenti hæc re-  
 poni fecit: „ His Cæsarea sua Majestas  
 „ nullatenus rem ad judicii forum dedu-  
 „ cere intendit, cum duntaxat, ut con-  
 „ scientiæ suæ dubio satisfaceret, hanc  
 „ quæstionem proposuisset, ac proin Pon-  
 „ tificem absque ullo timore in re tam æqua  
 „ Cæsari gratificari posset, eo potissimum  
 „ nomine, quod id ipsum nonnisi eidem  
 „ obsequendi, ac inserviendi animo fecis-  
 „ set. Hoc alterum Cæsaris responsum  
 Legatus Romam transmisit, mox ve-  
 ro Papa Patrum Senatu præter morem  
 convocato ibidem Caroli Imperatoris  
 postulatum exposuit, significans, quod  
 Cæsar duntaxat edoceri velit, non au-



Sæcul. XVI. tem rem judicum decisioni submittere  
 A.C. 1549. intendat (\*).

## §. LXXVIII.

*Sedis Apostolicæ jura in Parmam, &  
 Placentiam a Pontifice ad Cæsarem transmissa.*

*Pallav. 1. c.  
 c. 3. n. 2.*

Porro Cardinalium sententia eo abibat, quod non modo Cæsaris petitioni danda non esset repulsa, sed Apostolicæ Sedis honor omnino deposceret, ut certa ejusdem jura in Parmam, & Placentiam universo Orbi, ac præcipue Cæsari manifesta fierent: Igitur hac in re Imperatoris voto obtemperare decretum, moxque ad instruendum responsum eidem dandum idonei seligebantur Viri: porro summa hujus responsionis hæc erat: „Ecclesiæ jura in Placentiam, innituntur cessione, quam de hac ditio-  
 „ne Maximilianus I. Imperator paternus  
 „Caroli V. Avus Anno Christi millesimo  
 „quingentesimo undecimo fecit sub Pon-  
 „tifi-

(\*) Benevolus Lector ipse consulat Pallavicinum, quem hic allegatum cernit, inde vero mox deprehendet, quam longe diversa hic Scriptor referat. Mihi unius annotationis angustia haud concedunt, ut eadem fusius exponam, & Continuatores castigem,

„tificatu Julii II. , accedente consensu Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.  
„Regis Catholici materno ejusdem Ca-  
„roli Avo, quin imo ipse etiam Carolus  
„V. hanc cessionem solemniter firmavit  
„per foedus Anno Salvatoris millesimo  
„quingentesimo vigesimo primo firma-  
„tum, (\*). Hoc responsum Cardinales  
Y y 3 con-

(\*) Cum Continuator hanc rem haud integram referat, non injucundum erit, illam ex ipso Pallavicino percipere; *Protulit Papa quoddam caput illius fœderis, quod anno 1511. cum Julio II. initum fuerat, ubi fœderati convenerant, ut eorum singuli, quod ad ipsos jure spectabat, & a Gallis tunc possidebatur, id sibi acquirerent, atque ob eam partionem a Sfortia & Casare Mediolanum, a Pontifice vero Parma, & Placentia illis inspectantibus, & consentientibus recuperatae fuere: cumque ex occasione interregni Pontificii eas urbes interceptisset Sfortia, fuerunt statim novo Pontifici ab eo restituta. Protulit præterea ejusdem urbis cessionem, Pontifici disertis verbis factam a Maximiliano, paterno Caroli Avo, proximeque in Imperio decessore cum assensu Regis Catholici, qui ejusdem Caroli Avus maternus fuerat: ac denique partionum capita cum Leone solemniter ab ipso Carolo firmata Anno 1521. quæ tanto fuerant emolumento Casari & Imperio, quanto Mediolanensis ditionis recuperatio.*

Sæc. XVI. congregati omnino sufficere existima-  
A.C. 1549. bant: ut vero adhuc amplius Cæsaris  
 expectationi satisfacerent, legitimas  
 harum pactionum tabulas Mendozæ  
 Cæsaris Oratori tum Senis agenti inspi-  
 ciendas exhibuerunt. Hic quoque to-  
 tam rei feriem Carolo referre haud ne-  
 glexit, nihilominus Imperator respon-  
 so, quod reddi iusserat, haud obscure  
 significabat, quod ampliori hujus juris  
 testimonio haud indiguerit.

## §. LXXIX.

*Cæsaris responsum ad hæc Sedis Apo-  
 stolicæ jura.*

*Pall. c. 3. n. 3.* Cum ergo Julius Ursinus in Germa-  
 niam reversus esset, eidem Gran-  
 vellanus, Madrutius Cardinalis, & Pe-  
 trus Soto, qui Caroli conscientiam mo-  
 derabatur, nomine Cæsaris hæc respon-  
 derunt: *Nondum legitime apparet jus ul-  
 lum, quo illæ urbes Ecclesiæ deberentur,  
 multoque clariora in utramque urbem Im-  
 perii argumenta reperiuntur, quæ quidem  
 scripto tradi haud necesse est, aliunde vero  
 colli-*

*ratio. Sed quoniam exemplaria tantum harum  
 tabularum a Nuntiis Pontificiis delata fuerant,  
 Mendoza, qui Senis Romam Cæsaris jussu sub-  
 inde ventitabat, petiit, impetravitque, ut le-  
 gitimè a se tabulæ inspicerentur.*

colligitur, quod ea omnia, quæ pro juri-  
 bus Sedi Apostolicæ competentibus profe-  
 runtur, unice probent, eas urbes ante Ma-  
 ximilianum fuisse membra Mediolanensis  
 Principatus, & nullo pacto ad Apostolicam  
 ditionem pertinuisse, cum legitimæ donatio-  
 nes antiquiorum Cæsarum minime producan-  
 tur, quæ ab Apostolica Sede prætendeban-  
 tur. Porro Maximilianus Cæsar successo-  
 ribus suis nocere neutiquam potuit: pactio-  
 nes vero Caroli cum Leone X. iis verbis fue-  
 runt conceptæ, quibus Pontifici permitteba-  
 tur quidem occupatio, ac possessio earum ur-  
 bium, quæ tunc in Gallorum potestatem de-  
 venerant, novus tamen titulus illius domini-  
 non addebatur. Insuper eodem scripto Cæ-  
 saris nomine proferri potest, quod hic idem  
 salvis Apostolicæ Sedis, & Imperii juribus,  
 de quibus postea rite cognosceretur, daturus  
 sit Octavio gratuito munere, & ubi is Parmam  
 etiam Cæsari traderet, quadraginta  
 scutorum millia, ex Regno Neapolitano sin-  
 gulis annis percipienda, ad quam pecuniæ  
 summam Parmæ simul, ac Placentiæ proven-  
 tus nunquam pervenerant.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1549.

§. LXXX.

*Pontificis responsum ad Cæsarem.*

Pontifex accepto hoc responso gravi-  
 ter commotus se a Cæsare delusum  
 arbitrabatur, hinc altera die vigesima  
 quintapud Pall. n. 4.

25. Julii ex-  
 tat in 3. tom.  
 literarum ad  
 Principes a-  
 pud Pall. n. 4.

Y y 4

Sæcul. XVI. quinta Julii convocato Purpuratorum  
A.C. 1549. Senatu vehementer de Cæsare questus  
 est, cum autem quivis hujus Monarchæ  
 indignationem sibi accersere vereretur,  
 ac neminem lateret, quod Papa non  
 tam Ecclesiæ, quam familiæ suæ com-  
 moda adeo ardentem procuraret (\*) hinc  
 eidem soli, prout ipsi magis expediret,  
 responsum ad Cæsarem dandi curam re-  
 liquerunt (\*\*). *Multo libentius, aiebat  
 Papa; responsonem omissem, si absque  
 meo, Sedisque Apostolicæ damno id mihi  
 licuisset, sed cum ad hoc me compulsam sen-  
 tiam ab exhibiti Cæsariani scripti sententia,  
 id præstabo pro eo, quod decet, Et modestiam  
 meam, Et gradum, in quo sum a Deo  
 collocatus; nec ea omnia, quæ possem, sed  
 tantum ea, quæ satis erunt, reponam: Nolo  
 igitur repetere atrox, Et execrandum faci-  
 nus Placentinum, neque literas, quas post-  
 modum ea civitas ad me scripserat; volo  
 tantum*

(\*) Hæc animadversio a sublimi Continuato-  
 ris nostri cerebro profluxit, abs dubio com-  
 mendanda ab illis solis, qui vel jamjam a fide  
 defecerunt, vel vilipensa summi Pontificis au-  
 thoritate fidem Catholicam sensim falsis suis Po-  
 liticis principiis, ac diæteriis e fidelium cordi-  
 bus eliminare nitantur.

(\*\*) Rursus Continuator pro suo arbitrio  
 fingit. quod Papa hoc responsum absque suo-  
 rum consensu & opera dederit.

tantum ipsam in Ecclesie obsequio persistere, Sæcul. XVI.  
 neque vim referre a Cæsaris administris ad A.C. 1549.  
 urbem occupandam illatam, nec amplas, ite-  
 ratasque promissiones, per plura tempora,  
 pluribusque meis Nuntiis factas, proinde,  
 ut ad ea solum, quæ Martinus Alfonsus  
 postrema legatione detulerat, responsionem  
 contraham, compertum est Cæsari, quod  
 ipsi, uti citra omnem obligationem, ita ci-  
 tra omne mei juris detrimentum, ut illi gra-  
 tificarer, exhibuerim quasdam probationes  
 juris, quod in Placentiam obtinebat Eccle-  
 sia: satisfactum fuit Mendozæ cupienti au-  
 thenticas tabulas inspectare; nec ab eo postea  
 quidquam illis objectum, hinc mirum vide-  
 tur, quod jactetur, nihil legitimi juris pro  
 Ecclesia apparere, placet mihi, mentem Cæ-  
 saris non esse, ut Sedis Apostolicæ juri quid-  
 quam detraheretur; ceterum Deo universo-  
 que hominum generi dijudicandum relinquo,  
 an oblatae conditiones honestæ, adeoque ad-  
 mittendæ essent, an eidem Sedi, quin toti  
 Christianæ Reipublicæ summum detrimen-  
 tum illaturæ, quare ne Apostolica Sedes, a-  
 liique læderentur, illud urgeo, quod Cæsar  
 ipse in memorato scripto a se promissum fa-  
 tebatur, nimirum, quod velit reddere Pla-  
 centiam Ecclesie, ubi cognosceret, eam illi  
 jure deberi. Ego proinde, quam vehemen-  
 tissime possum, rogo Cæsarem, ut Deum,  
 suamque conscientiam consulat, agnoscatque

Sæcul. XVI eam urbem Apostolicæ Sedi debitam, nec  
A.C. 1549. ipsi fas sit plurimas ob causas eam retinere.

## §. LXXXI.

*Senensis Republica utriusque Ducatus  
 loco a Pontifice petita.*

*Pallav. l. c.  
 c. 3. n. 5.*

Cum omnibus manifestum esset, quod Cæsar Placentiam retinere vellet, simulque tam verbis, quam sua agendi ratione sat luculenter demonstraret, ipsum etiam sibi Parmam vendicare moliri, hinc nova ratio fuit excogitata, qua utrique contendentium parti satisfaceret, si nempe Carolo utraque urbs, quas ad conservandum Mediolanensem Ducatum oppido necessarias censebat, ea lege cederetur, ut Senensis Republica a Cæsaribus ditio- nibus sejuncta, Sedi Apostolicæ, atque Octavio, ejusque posteris interea relinquere- tur; quippe eadem hæc Republica in Cæsaribus obsequio multam fluctuabat, quamvis hic nec auro, nec solertix pepercerit, ut eam suis additam studiis conservaret, aliunde etiam Papa Florentiæ Ducem in hanc commutationem facile consensurum sperabat, cum eidem abs dubio gratius foret, ut hæc urbs in Farnesiorum Principum utpote potentia inferiorum dominio esset, quam si ditioni suæ vicinam

nam haberet Rempublicam armis assue- Sæc. XVI.  
 tam, ac semper Regum cuiquam foede- A.C. 1540.  
 re junctam. Fuit itaque injunctum Ber-  
 tano Fanensi Episcopo summi Pontifi-  
 cis apud Cæsarem Legato, quatenus  
 eidem hanc commutationem quasi sua  
 sponte proponeret, ut hac provida cir-  
 cumspectione Sedis Apostolicæ honor  
 in nullum discrimen adducatur, ac si-  
 mul repulsæ dedecus minuatur.

§. LXXXII.

*Coloniense Concilium Provinciale.*

Cum interea cuncta hæc concordia Labb. collect.  
 consilia irrita licet conatu agitari- Conc. t. 14.  
 tur, nonnulli Germaniæ Præfules Con- p. 629. & seq.  
 cilia celebrabant, eo fine, ut novum  
 Cæsaris edictum de Religione, ac mo-  
 rum reformatione ibidem acceptaretur,  
 mutata duntaxat forma, vi cujus hoc  
 decretum cujuslibet Diœcesis consue-  
 tudini magis aptari posset. Die itaque  
 undecima Martii ineunte jejunio verno  
 Adolphus Coloniae Elector, qui Her-  
 mano subrogatus fuerat, Synodum su-  
 am inchoavit, ac nonnisi sexta Aprilis  
 die absolvit. Præmittebat Archiepisco-  
 pus Concilii Sessionibus quamdam ora-  
 tionem, in qua ita exorsus est: Post-  
 quam nos Deus licet indignos, sanctæ Co-  
 loniensi Ecclesiæ, ac Provinciæ, procelosa  
 tempe-



Sæcul. XVI. tempestate graviter jactatæ, atque afflictæ  
A.C. 1549. gubernaculis admovit, huc continuo animum,  
 omneque studium nostrum ejus inspiratione  
 convertimus, ut Diæcesin illam ab hæresos  
 inundatione, quæ pravorum hominum stu-  
 diis jam plus nimio invaluerat, repurgare,  
 schismataque, quibus misere, atque adeo,  
 ut in ea jam actum de fide Catholica potue-  
 rit videri, discerpebatur, tollere, & oves  
 nobis creditas in unum Ovile Christo colli-  
 gere, pro virili adniteremur: plurimum au-  
 tem nobis erat fiduciæ in Concilio Triden-  
 tino, quod feliciter inchoatum, ac Sessio-  
 nibus aliquot habitis, celebre jam factum,  
 accessu omnium Imperii Ordinum, qui se re-  
 verenter ei submiserant, potentissimum, ac  
 saluberrimum fore credebatur: cujus pro-  
 gressu sperabamus nancisci opem, & vires  
 justas, quæ erroribus istis, & vitis radi-  
 citus extirpandis sufficerent, ejusque aucto-  
 ritate, quæ apud omnes maxima est, sub-  
 latum iri, non in nostra modo Diæcesi, &  
 Provincia, verum etiam toto Orbe Christia-  
 no, quidquid uspiam irrepsit malorum, &  
 Ecclesiam Christi pristinum suum nitorem,  
 concordia, atque unitate redintegrata, re-  
 recuperaturam. Quæ spes cum inexpectata  
 contentione inter Patres de transferenda Con-  
 cilio sede suscitata, nobis pæne eriperetur,  
 atque in longum tempus extraheretur; non  
 sine metu graviorum perturbationum in re-  
 publica Christiana, ex omnibus nobis, hoc  
 est

est, Ecclesiastici Ordinis statibus, consterna-  
 tis, atque in metu constitutis, adsuit ejus, A.C. 1549.  
 qui conatibus Religiosis, & piis nunquam  
 deest, Dei, a quo est omne bonum, conso-  
 latio. Enimvero misericordiarum Pater  
 Deus, qui nuper dedit fortissimo, invidiissi-  
 mo, felicissimo Religionis Orthodoxæ pro-  
 pugnatori Carolo Imperatori nostro de Cæ-  
 lo Victoriā, ut hostium validissimorum  
 vires, & consilia, non tam viribus, quam  
 consiliis melioribus frangeret, & Imperio  
 suo, non multo fuso sanguine, cogeret pa-  
 rere, cuique, quod mirandum magis est, de-  
 dit victoria parta modeste, ac clementer uti,  
 ut rebelles filios castigasse potius, more boni  
 Patris, quam bello petivisse videatur, ejus  
 nunc animum impulit, ut ad Catholicæ fi-  
 dei, paternarumque traditionum restitutio-  
 nem omnia consilia, omniaque studia sua  
 converteret, hinc quod vix quisquam mor-  
 talium sperasset futurum, egit cum eis, ut  
 protestatione, fœderibusque, & contentio-  
 nibus positis, duobus tantum articulis ad  
 Concilii definitionem rejedis, Doctrinam  
 Catholicam, traditiones, & cæremonias  
 Ecclesiasticas, Concionatorum bona parte,  
 unde pendere solebant, reclamante, recepe-  
 rint: quos cum Deo, & Ecclesiæ, quantum  
 in se erat, Imperator piissimus lucrifecisset,  
 atque in plenioris unionis, ac concordie  
 spem adduxisset: necesse erat, ut firmiter  
 illius, ac solidæ spei offendicula quoque tol-  
 leren-

Sæcul. XVI. A.C. 1549. *lerentur. Proinde ad Diæcesin, & Provin-*  
*ciam nostram reversi, primo omnium indi-*  
*ximus Clero nostro Synodum diæcesanam,*  
*quam & ad eummodum, quem reformatio-*  
*nis formula præscribit, propitio Deo cele-*  
*bravimus, in qua publicatam, & ab uni-*  
*versis Imperii statibus Ecclesiasticis compro-*  
*batam, receptamque reformationem, Clero*  
*nostro injunximus servandam. Transmis-*  
*imus quoque eam ad Reverendos Comprovin-*  
*ciales Episcopos, nostros suffraganeos, &*  
*fratres, similiter in eorum Diæcesibus pub-*  
*licandam, & Clero injungendam: quod ip-*  
*sos sedulo curasse, ex gestis, & statutis Sy-*  
*nodorum, quas ipsi quoque celebrarunt, no-*  
*bis oblatis, & Legatorum eorum fida re-*  
*latione cognovimus: quam ob rem vestigiis*  
*majorum nostrorum insistentes, qui in re-*  
*bis magnis cogere solebant comprovincialium*  
*Episcoporum conventus, reverendis compro-*  
*vincialibus Episcopis, confratribus nostris,*  
*totique Clero nostro, indiximus Concilium*  
*provinciale, in quo de rebus ad efficacem,*  
*& durabilem reformationis executionem con-*  
*stituendam pertinentibus, ac necessariis,*  
*communibus consiliis tractaretur, ac statue-*  
*retur, visaque nobis sunt plurimum momen-*  
*ti ad durabilem, & efficacem reformationis*  
*executionem comparandam allatura media*  
*sex, nempe: I. Instauracionem studiorum,*  
*potissimum sacrorum. II. Examen Ordis-*  
*mandorum, ad ministeria, vel praelaturas*  
*insti-*

instituentium. III. Officiorum, seu ministeriorum susceptorum sedulam perfundtionem. Sæcul XVI.  
A.C. 1549.

IV. Visitationem Archiepiscopalem, Episcopalem, Archidiaconalem, & eorum, quibus hoc incumbit. V. Synodorum frequentem celebrationem. VI. Jurisdictionis Ecclesiasticæ jam propemodum collapsæ, & abusu depravatæ restitutionem.

§. LXXXIII.

De restauratione Studiorum, atque Universitatum.

Primum ex hisce mediis complectitur decem capita, ac in primo quidem Synodus statuit: Neminem præceptioni trivialium studiorum admittendum esse, nisi qui sit de fide, & religione sua, de vita item, & moribus, probe examinatus, & constiterit, ubinam gentium, & apud quos sit ipse institutus: neque enim parvi retulerit, a Catholico, an a Schismatico sit institutus, qui juventutem docturus est: pertinebit autem examen præcipue ad Ordinarium, qui ordinet per Diocesim viros idoneos, quibus hoc negotii committat.

II. Præcipit, ut in scholis non nisi Grammatica, Poetica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, & quæ hujus generis sunt triviales, & liberales artes: Dominicis vero, & festis diebus, litteralis Evangeliorum, & Epistolarum, Hymnorum, Psalmorum,  
Para-

Sæcul. XVI. *Parabolarum Salomonis, & ejusmodi sa-*  
A.C. 1549. *rorum librorum expositio, pro atatis il-*  
*lius, & ingenii captu tradatur, quamquam*  
*dialectice etiam requirit usum disputandi,*  
*quali exercentur studiosi in Gymnasis, si-*  
*ne quo ars ipsa otiosa est; poterunt & lin-*  
*guarum rudimenta in trivialibus doceri. Ce-*  
*terum exacta, atque absoluta artium, &*  
*linguarum cognitio, ratioque, & reliqua*  
*Philosophia, Physica item, & ars medica,*  
*Jurisprudencia, & Theologia seu Scriptu-*  
*ra sacra, nonnisi in probatis Academiis,*  
*& Catholicis universalium studiorum Scho-*  
*lis expectentur, doceantur, ac tradantur.*

III. Prohibet Synodus, ne libri ob-  
 scæni, suspecti, aut contagiosi eorum, qui  
 perfidice suæ virus, Religionisque, & pie-  
 tatis odium teneræ juventuti suis scriptis in-  
 stillant, sed tantum casti, pii, & Religio-  
 ni Orthodoxæ consentientes auctores præle-  
 gantur: quod judicium cum non sit penes  
 omnes, statuimus nullum auctorem in trivialis  
 ludis prælegendum, qui non sit a De-  
 cano artium vicinæ, & Catholicæ Univer-  
 sitatis examinatus, & ad prælegendum ju-  
 ventuti admissus.

Maxime vero interdicit lectionem eo-  
 rum librorum, qui ad seducendam in pravas  
 opiniones juventutem, aliud agentem & qua-  
 rentem scripti videntur: quales sunt quo-  
 rundam Grammaticæ, Dialecticæ, & Rhe-  
 toricæ institutiones: in quibus exempla  
 fere

fere a pravis adversariorum dogmatis pe- Sæc. XVI.  
 tuntur, quo juvenus incauta hæresim, & A.C. 1549.  
 sectarum dogmata simul cum artibus imbi-  
 beret, quales item quædam familiarium col-  
 loquiorum formulæ, in odium monastici in-  
 stituti, & ceremoniarum Ecclesiasticarum  
 contemptum, compositæ, atque effectæ: qua-  
 rum præcipua vis est, animos juvenum cor-  
 rumpere, & jam a teneris eos ab hujusmo-  
 di pietatis exercitiis, ac vitæ monasticæ in-  
 stitutis alienare.

Ex his manifeste patet, in hoc ca-  
 pite Erasmi colloquia prohiberi, etiam-  
 si ea disertis verbis non fuerint nominata.

IV. Injungit, *Ne Parochi, ac Con-  
 cionatores libros hæreticos legant, qui spe-  
 ciem pietatis præferre videntur, latens  
 tamen habent sub melle venenum, unde in-  
 cauti se contaminant: caveant sibi quoque  
 non modo ab his, quæ ex officina venerunt  
 Lutheri, Bucerii, Calvinii, Oecolampadii,  
 Bullingerii, Francisci Lamperti, & Philip-  
 pi Melanctonis, quos constat omnia sua  
 scripta ad decipiendum, & seducendum ho-  
 mines a vera fide edidisse: fugiant etiam  
 Corvinum, Capitonem, Brentium, Po-  
 meranum, Pellicanum, Musculum, Sarce-  
 rium, & Christophorum Hegendorphinum,  
 Osandrum, Spangenbergium, Oldendor-  
 pium, Hermannum Bonnum, Hedionem,  
 & ejus in Ecclesiasticam historiam pestilen-  
 tissima supplementa, Chronicon Sebastiani  
 Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Z z Fanck,*

Sæcul. XVI. Fanck, & quidquid ejus est farine, donec  
A C. 1549. pleniori Catalogo libros contagiosos per  
 hanc tempestatem editos eis indicaverimus.

V. Jubet, ut Canonici sumptibus Collegiorum ad Universitatum studia mittantur, atque interim percipiant integros præbendæ suæ fructus, quotidianis distributionibus exceptis.

VI. Præcipit, ut iidem Canonici nondum in majoribus Ordinibus constituti, postea hoc nomine, aut fructus integros, aut decreta subsidia, a Collegiis, quæ pro more habent, ut de fructibus participent etiam in minoribus constituti Ordinibus, prius dent cautionem sufficientem, se non velle ordinem, & institutum Ecclesiasticum deserere, aut si mutato proposito forsitan resiliant, tum se velle, & debere fructus, perceptaque subsidia collegio illi integraliter solvere, ac restituere.

VII. Designat Collegia Universitatum, ad quas ejusmodi Studiosi sint mittendi.

VIII. Mandat, ut nulli, nisi ad studia litterarum idonei, & illarum præcipue gratia, se ad Universitatem conferentes, in membra seu supposita, atque ad usum privilegiorum hujusmodi Universitatis recipiantur, aut suorum beneficiorum fructibus eo prætextu gaudeant: nec recepti ipsis privilegiis, & beneficiorum fructibus uti sinantur, nisi quamdiu causa studii per-

permanferint, & spes fit, quod ex studio Sæcul. XVI.  
 suo fructum uberiores in Ecclesia Dei sint A.C. 1549.  
 parituri: qui vero desides, & otiosi com-  
 perti fuerint, ab eorundem privilegiorum  
 usu, & fructuum perceptione repellantur.

IX. Imperat, ut Collegia alant Theo-  
 logum aliquem docentem, vel binos, qui  
 hanc operam inter se partiantur, concessione  
 fructuum unius præbendæ, auctoritate Apo-  
 stolica in hunc usum supprimendæ: aut si  
 illa non sufficiat, unione beneficiorum vel  
 vicariarum, quæ nullam vel non adeo ne-  
 cessariam functionem requirunt, iudicio visita-  
 torum episcopaliū decernenda, & conficienda.

X. In Universitate Coloniensi le-  
 ctiones Theologicas instaurari imperat.

§. LXXXIV.

*De Examine Ordinandorum, ac de  
 Beneficiatis.*

Alterum caput agit de examine eorum, Collect. Conc.  
 qui beneficia obtinent, aut sacris p. 638.

Ordinibus initiari desiderant, hocque  
 medium Synodus itidem ad decem re-  
 ducit capita, quorum primo exponit  
 hujus examinis necessitatem.

II. Designat eos, ad quos examen  
 pertinet, nimirum Episcopos, Schola-  
 sticos, vel ab Ordinario designandos.

III. Præcipit, ut nemini posthac (ubi  
 digna, & justa causa non est) dentur li-  
 centiatoria, ordines extra suam Diocesim re-  
 cipien-



Sæcul. XVI. A.C. 1549. *cipiendi, nisi prius sit juxta modum præscriptum, in sua Diœcesi examinatus.*

IV. Mandat, ut majoribus ordinibus initiandi trina proclamatione denuntientur in Ecclesia Parochiæ, quam inhabitant, ad percipienda impedimenta, si quæ sunt, quæ debeat Parochus Episcopo, aut Officialibus ejus significare.

V. Præscribit, ut volentes ad Subdiaconatus, vel Diaconatus ordinem promoveri, præsententur, & dent Intitulatores nomina sua feria quarta diem ordinationis præcedente, ac eodem, & sequenti die examinentur hora, quam eis constituent examinatores: promovendi vero ad Sacerdotii gradum, dent nomina sua feria quinta ante diem Ordinationis: quibus similiter statuetur hora, cum simul ob multitudinem examinari non possint: afferant vero promovendi omnes secum testimonia non modo suorum Parochorum, verum etiam præceptorum, aut proborum virorum, apud quos majorem vitæ partem transegerunt, per examinatores discutienda.

VI. Illos quoque examinari vult, qui ad dignitates, animarum curas, aut alia officia instituendi sunt.

VII. Ordinatur, ut in resignationibus beneficiorum eadem cura adhibeatur examinandi eum, in cujus favorem permutatio, vel resignatio concepta est, & præsertim diligens fiat inquisitio, etiam per diserta iuramenta,

menta, num permutatio sit ad contegendum *Sæcul. XVI.*  
*simoniæ vitium fraudulenter excogitata, ac A.C. 1549.*  
*simulata.*

VIII. Præscribit formulas ad exami-  
 nandum aptas juxta diversos Ordinum, ac  
 dignitatum gradus.

IX. Censet petendam esse a Papa de-  
 clarationem, irritantem collationes, quas  
 vocant, pleno jure, nisi præcedat examen e-  
 piscopale, seu eorum, quos Episcopi ad  
 hoc dabunt, & ut potestatem faciat Epi-  
 scopis, ut quos non constaret a sua Sancti-  
 tate, vel alias rite examinatos esse, non te-  
 neantur, quavis licet auctoritate nitentes,  
 ad possessiones Prælaturarum, vel Sacerdo-  
 tiorum curam animarum habentium admit-  
 tere, nisi examine diligenter excussos, at-  
 que probatos.

X. Declarat nullas & irritas esse Be-  
 neficiorum collationes eorum sæcularium,  
 qui jus præsentandi habent aliquem ad be-  
 neficium Ecclesiasticum, sive curatum, sive  
 a cura liberum, qui contra Regulas Cano-  
 nicas annuntur pleno jure conferre, abs-  
 que institutione Canonica, aut præsentat-  
 um via facti intrudere.

Tertium medium de functionibus  
 Ecclesiasticis, & de cujuscunque Ordi-  
 nis officio continet undecim articulos,  
 in quorum primo Synodus ita effatur:  
*Non prodest ad Ecclesiæ ædificationem,  
 Prælatos & Pastores, curam animarum*  
 Z z 3 *haben-*

Sæc. XVI. *habentes, fuisse diligenter examinatos, pro-*  
A.C. 1549. *batos, & legitima manuum impositione in-*  
*stitutos, atque admissos, nisi præsent etiam*  
*officium, ad quod sunt vocati, & cujus*  
*gratia stipendia ab Ecclesia percipiunt.*

II. *Designantur illi, quibus possent*  
*Archidiaconi munus suum committere.*

III. *Statuitur, non licere Prælati of-*  
*ficia sua pro pecunia pacta alicui committere.*

IV. *Injungitur Judicibus Ecclesia-*  
*sticis, ut delicta præterita castigent, pæni-*  
*tentia salutari pro delicti gravitate impos-*  
*ita: nec pænitentiæ loco pecuniam emungant,*  
*nisi ubi permittunt jura, aut Canones.*

V. *Mandatur, ut muneri suo Colle-*  
*giorum Præpositi satisfaciant.*

VI. *Statuitur, quod non liceat Deca-*  
*nis abesse a suis Collegiis.*

VII. *Idem decernitur de Abbatis-*  
*Collegiorum nobilium Virginum Canonissa-*  
*rum, quas tanto magis oportet collegiis suis*  
*adesse, & perpetuo residere, quanto Virgi-*  
*nes illæ majori custodia sunt dignæ: Simul-*  
*que præcipitur, ut Abbatisæ, quæ duo-*  
*bus Collegiis præsent, unum relinquunt.*

VIII. *Præscribitur, ut Abbates a suis*  
*Monasteriis non discedant.*

IX. *Agitur de restringenda plurimo-*  
*rum beneficiorum curam animarum haberi-*  
*tium coacervatione.*

X. *Si Parochi portio non sufficiat, ut*  
*honeste, ac decenter ex ea vivatur, ne causa*  
*fit,*

fit, cur animæ negligantur, aut deferatur officium, vel ad curas sordidas Pastor ille pro victu comparando adigatur, mandamus, Et decernimus, ut justa portio secundum reformationem ei de decimis Collegii, vel Monasterii bonis assignetur, sive per Episcopum loci, sive per ejus visitatores.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

XI. Prohibetur, ne ulla Collegia, Monasteria, vel habentes dignitates, locent Ecclesiarum suarum regimen cum agris, vineis, sylvis, pratis, Et juribus, rectori plus offerenti sub annua pensione: tales enim coloni verius, quam Pastores servilibus, Et sordidis negotiis se dedere, Et majorem temporalium, quam spiritualium bonorum sollicitudinem habere, dignamque animarum curam negligere solent.

§. LXXXV.

*De Episcoporum, atque Archidiaconorum visitationibus.*

Quartum Ecclesiam reformandi medium Synodus constituit in Episcoporum, atque Archidiaconorum visitationibus, hancque in rem septem proponit capita, ex quibus primum agit de visitationis fine, eumque in corrigendis vitiis, ac restauranda morum, ac disciplinæ puritate consistere affirmat. II. Loquitur de Notario in visitatione adhibendo. III. De visitatione ex-

Conc. p. 346.

Sæcul. XVI. *emptorum, & non exemptorum.* IV. De  
A.C. 1549. *privilegio a Cæsare Episcopis concesso, vi  
 cujus hospitalia etiam exempta visitare que-  
 unt.* V. *De auctoritate.* VI. *De formu-  
 lis.* VII. *Postulat, ut quamvis illi, qui  
 visitantur, debeant suis visitoribus sum-  
 ptus omnes suppeditare juxta D. Paulum,  
 ne tamen visitatio superveniens fiat onus im-  
 portabile, & offensionem demus, ut Apo-  
 stolus loquitur in Evangelio; requirimus re-  
 verendos comprovinciales Episcopos nostros  
 suffraganeos, ut quando non per se, sed per  
 commissarios visitabunt, non sinant visitan-  
 dos supremis exactionum, ac procuratorum  
 juribus gravari: neque enim debent filii the-  
 saurizare parentibus, sed parentes filiis,  
 præcipimusque, & mandamus universis, &  
 singulis nobis inferioribus visitoribus, ne  
 superfluum famulitium in Comitatum assu-  
 mant, & victualium sumptu mediocri pro  
 sua decentia sint contenti: de Parochis vero,  
 ubi tenues sunt redditus, & paucus est po-  
 pulus, ordinamus, ut visitandi vocentur  
 ad vicinum aliquem illius decanatus, seu re-  
 giunculæ locum, & moderatum tantummo-  
 do subsidium conferant in sumptus com-  
 munes.*

§. LXXXVI.

*De celebrandis Synodis.*

*Labbe l. c.  
 p. 649.*

Quintum medium de Conciliorum ce-  
 lebratione tria complectitur capita,  
 ac

ac primo quidem ostenditur Synodi sæ- Sæcul. XVI.  
 pius celebrandæ necessitas, cum in illis A.C. 1549.  
 redintegretur unitas, & studeatur corpori in  
 sua integritate conservando, ubi ea, quæ  
 in visitatione non dabatur exequi, executio-  
 nem studiis communibus assequuntur, ubi  
 de capite & membris, de fide, & pietate,  
 de Religione, & cultu divino, de moribus,  
 de disciplina, de obedientia, de judiciis, &  
 rebus omnibus, ad bene, christianeque viven-  
 dum commodis, vel necessariis, tractatur, at-  
 que statuitur, ut verissime in reformationis  
 formula dicatur: Salus Ecclesiæ, terror ho-  
 stium ejus, & fidei Catholicæ stabilimen-  
 tum sunt Synodi: quas etiam rectissime Cor-  
 poris Ecclesiæ nervos dixerimus.

II. Injungitur, ut Decani pro numero  
 dierum, quibus concilium durat, conferant  
 suis collegia, & parochi subsidia, in  
 sumptus, quos necessario facere debent, abs-  
 que omni tergiversatione.

III. Agitur de novis Constitutionibus  
 edendis in Synodis, ac de tollendis abusibus,  
 corruptisque moribus: & si opus sit, cano-  
 nes veteres renovari jubentur.

§. LXXXVII.

*De restauratione disciplinæ Eccle-  
 siasticæ.*

Sextum medium in restauranda Eccle- Concil. p. 650  
 siæ disciplina consistit, ac tria con- & 651.

Z z 5

tinet

Sæc. XVI.  
A. C. 1549.

tinet capita, quorum tamen duntaxat titulos referemus: Revocantur igitur I. Constitutiones Synodicæ primi Concilii Coloniensis sub Hermano celebrati Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto. II. Agitur de iis, qui executionem mandatorum, ac sententiarum *Judicum Ecclesiasticorum* impediunt. III. Prohibetur, ne *judices sæculares de matrimonialibus, & aliis spiritua- libus causis judicent.*

Post sex hæc media sequuntur tringenta octo decreta, quorum tituli sunt sequentes:

I. *Ne quis recipiat aut foveat monachos, & sanctimonialis, sui instituti desertores, ac fugitivos, apostatas, sub excommunicationis pœna.*

II. *De Monachis, Sanctimonialibus, & Sacerdotibus conjugatis.*

III. *De Concubinariis monachis, vel sacerdotibus.*

IV. *De monachis, qui extra obedientiam degentes divina tractant, & populo Sacramenta administrant.*

V. *De Sanctimonialibus Religionis suæ habitum subinde mutantibus.*

VI. *De requirendis omnis generis apostatis, ut resipiscant, & ad instituta sua revertantur.*

VII. *De abjuranda hæresi, & communionem schismatica vitanda.*

VIII. Ut

VIII. Ut Sacerdotes ab hæreticis re-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
vertentes non statim involent ministeriis A.C. 1549.  
Ecclesiarum.

IX. Veniæ spe proposita, errantes omnes ad Ecclesiam catholicam revocandos.

X. De refractariis & in errore persistentibus vi cogendis.

XI. De apostatis, qui sub prætextu dispensationum Apostolicarum vota religionisque suæ instituta deseruerunt.

XII. Ut qui habent administrationem bonorum Ecclesiasticorum, vel officia, reddant rationem.

XIII. Ut Campanarii seu custodes religiose officia sua exequantur.

XIV. De benedictione fontis, & parvulis tempore Paschali baptizandis.

XV. Ubi & quibus horis debeant parvuli baptizari.

XVI. Quod non liceat Religiosis suscipere in fonte baptizatos, aut nuptiis interesse.

XVII. Comædias quatenus liceat in monasteriis ludere.

XVIII. Abusus populi in audiendis Missis quomodo coercendus.

XIX. Quando & ubi conveniat simul plures Missas dicere.

XX. De Oblationibus in Missa faciendis.

XXI. De oblationibus pro Defunctis; & exequiis pomposis prohibendis.

XXII.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1549. XXII. De processionibus, in quibus sacra hostia cum imaginibus Sanctorum circumfertur.

XXIII. De stationibus & supplicationibus.

XXIV. Ut distributionum non sint participes, qui officiis integris non interfuerint.

XXV. De Processionibus ruralibus.

XXVI. Ut pastores rurales Decanis suis obediant.

XXVII. Ne Magistratus sæculares Decanis & pastoribus in officiorum suorum executione sint impedimento.

XXVIII. Ne magistratus sæculares onerent domos Religiosorum, & eorum personas servitiis sæcularibus.

XXIX. Ne Coloni Ecclesiarum servitiis indebitis graventur.

XXX. Ne Iudices sæculares clerum judicialibus impensis ultra æquitatem gravent.

XXXI. Ne clandestina conjugia contrahantur & tolerantur.

XXXII. Quod matrimonium debeat præcedere trina proclamatio, & nemo nisi a pastore, ad quem hoc pertinet, conjungi.

XXXIII. Quod non debeant sponsus & sponsa conjungi, nisi in Ecclesia & tempore ab Ecclesia non interdicto.

XXXIV. De Communionem & confessione Sacramentali.

XXXV.

XXXV. *Ne fratres quatuor Ordinum Sæcul. XVI.*  
*audiendis confessionibus se intromittant, nisi A.C. 1549.*  
*sint præsentati.*

XXXVI. *De pœnitentiariis Episco-*  
*palibus.*

XXXVII. *De Confessoribus Sancti-*  
*monialium.*

XXXVIII. *De contemnentibus sacram*  
*unctionem.*

§. LXXXVIII.

*Hæc decreta a Cæsare approbata.*

Cum hæreditariis Belgii Provinciis *Lab. Collect.*  
 Archiepiscopus Coloniensis tan- *Conc. p. 627.*  
 quam Metropolita præesset, hinc Imperator hujus Synodi Decreta a suo Senatu, ac Theologis examinari præcepit, atque ad eorum relationem eadem rata habuit, hanc in rem diplomate Bruxellis die quarta Julii edito, vi cujus omnibus suis subditis mandavit, ut hæc decreta observent, atque exequantur, præcipiens etiam Magistratibus civilibus, ut ab Episcopis requisiti in refrænanandis refractariis omnem opem, atque auxilium præbeant.

§. LXXXIX.

*Provinciale Concilium Moguntinum.*

Hoc item anno Sebastianus Hensen- *Labbe Coll.*  
 stein Archiepiscopus, atque Elector *Conc. p. 627.*  
 Mogun-

Sæcul. XVI. Moguntinus Concilium priori celeberrius coegit, eo quod in eo præter statuta circa disciplinam etiam fidei definitiones fuerint adjectæ. Indicebat hanc Synodum Archiepiscopus ad diem sextam Maji, eique aderat ipsemet Eichstettensis Episcopus: ceteri vero Provinciæ Præsules suos quisque Procuratores cum præcipuis ex Clero ablegarunt. Porro Archiepiscopus, qui simul erat S. R. Imperii Cancellarius, in sua præfatione hæc exposuit: *Hac temporum iniquitate nobis nequaquam desidiæ patrocinium, aut negligentia excusationem, præberi existimamus; sed curam, & sollicitudinem nostram potius augeri, ut quanto gravioribus malis laborantem Ecclesiam conspiciamus, tanto attentiore animo, & studio vigilantiore in eam, quam Dominus nobis imposuerat, pastoralis officii functionem incumberemus, & gregi nobis credito custodiam simul, & disciplinam sedulo adhiberemus.*

*Siquidem meminimus, hanc utramque curam a Domino ovis sui custodibus sub gravi comminatione injungi: custodiam quidem, cum ait: Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate sua captus*

captus est; sanguinem autem ejus de <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 manu speculatoris requiram. A.C. 1549.

*His nos Domini comminationibus incitati, jam inde ab initio ordinationis nostræ propensa voluntate ad debitam commissæ nobis functionis executionem omnem animi, & consilii vim convertebamus; sed pios conatus nostros inquietudo temporis illius impediēbat, cum tumultibus, & bellis ferverent omnia, ac plane appareret, sæculum nostrum jam nec vitia sua ferre posse, nec remedia pati velle. Et jam nihil aliud, quam gravem Ecclesiarum ruinam, & de proximo imminentem Religionis nostræ interitum, oculis prævidebamus: nisi Deus pro immensa sua misericordia miseratus Ecclesiam suam, tot malis gravissime afflictam, & sub tantarum calamitatum onere jam-jam ruituram, invictissimi, & potentissimi Principis Caroli quinti, pientissimi, & vere Catholici Imperatoris, armis texisset, & a casu præservatam, pia ejusdem Imperatoris sollicitudine ad pristinæ securitatis recuperandæ spem erexisset.*

## §. XC.

*Quadraginta septem hujus Synodi  
 decreta ad fidem spectantia.*

**H**ujus Concilii decreta duas comple- <sup>Labbe l. c.</sup>  
 ctuntur partes, quarum prima qua- <sup>p. 672.</sup>  
 draginta septem articulos fidem, & altera  
 reli-

Sæcul. XVI. reliquos quinquaginta septem mo-  
A. C. 1549. rum Reformationem concernentes con-  
 tinet. Primo, Ecclesiæ fides circa My-  
 sterium SS. Trinitatis explicatur juxta  
 tria Symbola Apostolorum, Nicænum,  
 & D. Athanasii.

II. Deciditur, *Deum conditorem, con-  
 servatorem, & gubernatorem esse rerum  
 omnium, in pœnis, & vindictis justum si-  
 mul, & misericordem, in donis liberalem,  
 omnis quidem boni, sed nequaquam mali cul-  
 pæ auctorem.*

III. *Hominem a Deo creatum esse or-  
 natum justitia, & gratia in voluntate ad bo-  
 na, malaque appetenda liberum.*

§. XCI.

*De lapsu hominis, ejusque justifi-  
 catione.*

Quarto demum articulo declaratur,  
 quod primus homo, cum mandatum  
 Dei conditoris sui prævaricatus esset, san-  
 ctitatem, gratiam, & justitiam, in qua e-  
 rat constitutus, justissimo Dei judicio ami-  
 serit.

V. *Hoc primorum hominum peccatum,  
 propagatione in omnes homines transit, ac  
 secum pœnam suam trahit, ut sint natura  
 omnes homines iræ Dei, mortis, & damna-  
 tionis rei, & in peccatum proni.*

VI. Ho-

VI. *Homines sola Dei misericordia per* Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.  
*Redemptionem, quæ est in Christo Jesu, liberantur, qui infirmitates, & languores nostros in se suscipiens, & peccata nostra in cruce perferens in corpore suo, Patri nos reconciliavit; ut satisfactionem pro delictis nostris, quam in nostris meritis non invenimus, de Christi Sanguine & meritis ejus assumamus: cui dum per baptismum inseruiur, per Spiritum Sanctum mundamur, & omnem reatum, quem nascendo, vel proprie peccando contraximus, renascendo exuimus, & ab omni prorsus peccato liberamur.*

VII. *Hac ratione justificantur homines, cum qui immundi & natura iræ filii, & damnationis rei sunt, per Christi meritum peccatorum suorum remissione impetrata, renovantur spiritu Dei per Christum secundum internum hominem: ut jam justificati gratia ipsius, & reconciliati Deo, & ab æternæ damnationis reatu absoluti, hæredes sint secundum spem vitæ æternæ: talis autem justificationis initium ex Dei gratia provenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici, & peccatores eramus, excitati & adjuti, & eidem gratiæ sic excitanti, & adjuvanti consentientes & cooperantes, ad justificationem disponimur, quatenus per meritum Passionis Christi, quod jam credenti communicatur, cum venia peccatorum, homo etiam Dei gratiam, & per Spi-*  
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. A a a r

Sæcul. XVI ritum Sanctum una cum fide, simul charita-  
A. C. 1549. tem in corde diffusam, ac spem accipit,  
 hisque Dei donis in ipso permanentibus, non  
 jam solum reputatur, aut nominatur, sed  
 vere existit justus: non tamen sua propria,  
 aut suis meritis comparata, sed ex gratia  
 Dei per Christum donata, & communicata  
 justitia: itaque homo justificatur gratis per  
 fidem, quia nullis præcedentibus meritis  
 justificatio acquiritur, sed ex Dei Gratia  
 per Christum.

VIII. Charitas vero nec otiosa, nec in-  
 utilis permanet, sed operibus bonis graviora  
 est secundum eam gratiam, quam in justifi-  
 catos influit Christus, ex qua dein bona i-  
 psorum opera promanant.

IX. Ex eadem gratia provenit, manda-  
 torum Dei observationem renatis, ac justifi-  
 catis esse possibilem, non secundum naturæ  
 infirmitatem, quam habent cum aliis ho-  
 minibus communem, sed secundum gratiam  
 Christi, qua imbuti sunt, & secundum opem  
 Spiritus Sancti, quem renati, ac justifica-  
 ti acceperunt: ut jam divinorum præcepto-  
 rum observatio renatis tanto sit possibilior,  
 quanto majorem gratiam, eodem semper o-  
 pitulante Spiritu, vel semel acceptam reti-  
 nent, vel amissam novo subinde munere re-  
 cuperant.

X. Ea vero libertas sua (quam lex spi-  
 ritus, quæ est ipsa charitas, diffusa in cordi-  
 bus nostris, nobis affert) a christianis in-  
 telliga-

telligatur, non ut impleant ea, quæ in man- Sæcul. XVI.  
 datis Dei exiguntur; sed quatenus ad ea A. C. 1549.  
 adimplenda, non ut alii homines pœnarum  
 metu, & imperio legis compellantur; sed  
 ea jam non inviti, immo vero volentes fa-  
 ciant.

## §. XCII.

*De Sacramento Baptismi.*

Articulus undecimus præprimis agit  
 de doctrina Sacramentorum, eo-  
 rumque numerum septenarium definit,  
 simulque decidit, ea non esse ritus simpli-  
 ces, quod quidam impie confingunt, sed sa-  
 crosancta signacula, & efficacia signa, quæ  
 rite ea suscipientes gratiam eis conferendo  
 sanctificant.

XII. Declarat, Baptismi virtute omne  
 prorsus peccatum tam originale, quam actua-  
 le remitti, nec quidquam in rite baptizato  
 relinqui, quod ab ingressu regni cœlestis re-  
 morari eum queat: concupiscentiam enim,  
 quæ post baptismum in nobis ad agonem, non  
 ad culpam, relinquitur, jam non esse pec-  
 catum vera ratione peccati, sed peccatum  
 ob id appellari, quod per peccatum facta,  
 & ex peccato relicta sit, & ad peccatum am-  
 plius inclinet.

XIII. Profitetur, datum etiam parvu-  
 lis in fide Ecclesiæ baptismum, ad abolen-  
 dum originale peccatum, & ad salutem con-  
 sequendam, efficacem esse, eumque semel rite,



Sæc. XVI. *etiam a parvulo susceptum, aut ab hæretico, vel infideli in forma Ecclesiæ cum recta intentione datum, sine injuria Christi (in cujus mortis similitudinem semel pro nobis redimendis toleratæ traditur) sine grandi piaculo amplius iterari nec posse, nec debere.*

A.C.1549.

XIV. Præcipit, ne aliter, quam adhibitis exorcismis, & exsufflationibus, unctionibus etiam, & ceteris ritibus, per Catholicam Ecclesiam ab antiquo observari solitis; & in aqua non profana, sed solenni benedictione, & sacri chrismatis unctione, sanctificata, extra casum necessitatis, baptismum administrare præsumant.

XV. Parochis injungit, ut de pueris ex necessitate baptizatis diligenter inquirent, & si compererint aliqui debitam verborum formam observatam, baptismum quidem sic traditum approbent: eos vero, qui dum baptizarentur, unctioes non receperunt, serio exhortentur, & sedulo inducere tentent, ut consuetas unctioes cum oleo sancto, in pectore, & scapulis, & in vertice cum Chrismate, (adjunctis solitis precationibus, quæ in agendis habentur) aliosque ritus omissos, in seipsis per catholicum Sacerdotem, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem, caute, & pie suppleri curent.

XVI. Eosdem monet, ut mane intra officia divina, aut mox post ea peracta, (non autem tempore pomeridiano post epulas, & præ-

prandia, nisi necessitas, aut periculum infan- Sæcal. XVI.  
 tium accelerare baptismum exposcat) cum A.C. 1549.  
 multa sobrietate, & accurata devotione ba-  
 ptismum administrent; Comestiones vero,  
 & parum sobria convivia, quæ quibusdam  
 in locis post baptismum fiunt, per civiles  
 Magistratus inhiberi, aut saltem ad modera-  
 tionem Christianis dignam reduci volumus.

## §. XCIII.

*De Sacramento Confirmationis.*

Decimus septimus articulus, qui agit  
 de Sacramento Confirmationis, de-  
 clarat, illud ex institutione Christi, & A-  
 postolorum praxi, Ecclesiæ relictum esse,  
 in quo, juxta Domini promissionem, Spi-  
 ritum Sanctum, quo in baptismo ad peccati  
 emundationem signati sumus, cum novo gra-  
 tiæ suæ munere accipimus: videlicet, ut vir-  
 tute ejus contra satanæ tentationes mu-  
 niamur, ut gratia ejus, ad melius capienda  
 fidei mysteria, illuminemur, ad Confessionem  
 Christi fiduciam, & contra vitia robur ac-  
 cipiamus, quæ omnia Christus Dominus per  
 Spiritum Sanctum, quem missurus erat, fi-  
 delibus conferenda diserte promisit: ea vero,  
 ut erant a Christo promissa, ipsis Aposto-  
 lis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem  
 per manuum impositionem in alios trans-  
 fundi cepta, Actus ipsorum satis testantur:  
 unde Ecclesia Catholica Spiritum Sanctum

Sæcul. XVI. *per manus Episcoporum fidelibus tradendi*  
A C 1549. *normam accepit.*

XVIII. *Jubet, ut animarum Pastores diligenter etiam populum instruant, cur hoc Sacramentum, ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione, adhibita chrismatismatis unctio, cœperit conferri, nam cum initio Spiritus Sanctus, ad evidentiore recentis adhuc fidei commendationem; signo visibili influeret confirmatis, extrema unctio, quæ illam internam designaret, tunc non erat opus: postea vero adulta Ecclesia, & stabilita fide, cum signa externa apparere cessaverunt, nec jam amplius Spiritus Sanctus visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi unctio chrismatismatis adhiberi cœpit, quæ his, qui confirmarentur, internam, & spiritalem unctioem repræsentaret; ut quid intus agatur per gratiam, foris aliquo visibili signo innotescat, & verbi fidem externi elementi similitudo confirmet,*

XIX. *Decernit, ne cuiquam sive ex sacro fonte levando, sive ad sacram confirmationem tenendo, plures quam unum patrum, liceat adhibere.*

§. XCIV.

*De Sacramento Pœnitentiæ.*

**I**n articulo vigesimo, ac sequentibus exponitur Pœnitentiæ Sacramentum,  
 necnon

necnon tres illius partes, vocaturque Sæc. XVI.  
A. C. 1549.  
*pœnitentia secunda post naufragium tabu-  
 la, cujus præsidio, in peccatorum voraginem  
 relapsi, denuo perniciem effugimus & gra-  
 tiam reconciliationis, & remissionis pecca-  
 torum recipimus. Pastores nostri in ecclesiis  
 sedulo urgeant, & admoneant fideles, his  
 partibus integram, & utilem pœnitentiam  
 absolvi: contritione, confessione, & satis-  
 factione.*

XXI. Dicitur, non remitti peccatum,  
 cujus eum, qui admisit, non pœniteat.

XXII. Declarat, quod Christus dupli-  
 cem ministris Ecclesiæ suæ potestatem reli-  
 querit, ut remittant, aut retineant, solvant,  
 aut ligent: & quatenus ad remedium sanan-  
 dis peccatis apponendum nobis Dominus tra-  
 didit, eatenus confessionem, cum enumeratione  
 peccatorum faciendam, nobis commendaverit,  
 ut ex recensione peccatorum is, qui discer-  
 nendi potestatem accepit, sciat, utram com-  
 missi muneris partem debeat exercere.

XXIII. Jubentur Parochi, ut doceant,  
 satisfactionem ab his, qui deliquerunt, esse  
 præstandam, non illam quidem, qua cul-  
 pa peccati, & æterna pœna diluitur; hæc  
 enim satisfactio ex sola Christi propitia-  
 tione donatur, sed illa a nobis præstanda  
 est, qua pœna temporalis, quæ post culpæ re-  
 missionem nonnunquam remanet, aut eleemo-  
 synis, aliisque pietatis operibus redimitur,  
 aut jejuniis, & aliis satisfactionibus (quæ

A a a 4 tamen

Sænl. XVI tamen ipsæ etiam ex merito passionis Christi  
A.C. 1549. si efficaciam sumunt) avertitur.

XXIV. Præscribitur, ac statuitur absolutionis forma, ita, ut etiam quædam preces præmittantur.

XXV. Vult Synodus, ut audiendis confessionibus Sacerdotes, & Viri integri, ac periti præficiantur: omnes quoque superiores Fratrum Mendicantium inducendos censet, ut fratres suos, quos ad excipiendas confessiones admittere destinaverint, prius Episcopi Commissariis exhibeant.

XXVI. Mandat, ut deinceps omnes parochi, per Provinciam nostram rite ordinati, & vocati, omnesque fratres mendicantes, per suos superiores, ut præmittitur, præsentati, & per commissarios nostros approbati, potestatem habeant vice, & nomine nostro absolvendi laicos contritos, & confessos a quibuscunque peccatis occultis, quantumvis gravibus, & enormibus, quæ alioqui auctoritati nostræ ordinariæ reservari debebant, exceptis dumtaxat homicidiis, hæreticis, & excommunicatis, ad nos, vel commissarios nostros mittendis.

XXVII. Nulli tamen religioso (etiam si ad confessiones audiendas, ut præmittitur, admissus fuerit) licere volumus, cuiquam laico sacrosanctæ Eucharistiæ communionem, sine speciali consensu Parochi, ad cuius curam ille pertinet, porrigere.

XXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

XXVIII. Parochis injungit, ne post- hac quemquam parochianum, qui non suo parochio confessionem fecerit, (saltem ubi non factæ confessionis suspicio subsit) sine testimonio ejus, cui confessionem fecit, ad sacramentam Eucharistiam admittere præsumant.

XXIX. Statuit, ut si Sacerdos alicujus crimen per confessionem sibi compertum, vel aperto judicio, aut saltem conditionis, aut loci, aut viciniae, aut cujuscunque circumstantiæ significatione, revelarit, a beneficio ecclesiastico remotus, ad arctum monasterium ad agendam pœnitentiam retrudatur.

XXX. Confessarios admonet, ut juxta delictorum qualitatem satisfactionis modum temperent, & avaris eleemosynas, incontinentibus jejunia, pro satisfactione imponant; quo semper confitentium vitia contrariis virtutibus compensentur.

§. XCV.

*De Sacramento Eucharistiæ.*

In articulo trigesimo primo pertractat Synodus ea, quæ Eucharistiæ Sacramentum concernunt, ac præprimis præcipit, ut Parochi de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia plebem ex verbis Domini instruant, ut credant post consecrationem sub speciebus panis, & vini veram Corporis, & Sanguinis Domini substantiam contineri, nec jam dividi

Aa a 5 Chri-

Sæcul. XVI. *Christum, aut Sanguinem ejus a carne separari unquam posse, quoniam amplius non moritur, ideoque sub alterutra specie Christum integrum contineri, & sub una specie tantum a fidelibus, quantum sub utraque sumi.*

In trigesimo secundo autem articulo hæc proponit: *Cum nemo fidelium dubitet virtutem sacrosanctæ Eucharistiæ, non ex speciebus pendere, sed ex vivifica Christi carne, & sanguine provenire: jam ne hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub una specie communicandi morem, ad salutem sumentium æque utilem, & efficacem esse, quam alterum sub utraque, cum confiet non minus accipi in una specie, & eum quoque communicandi morem in una specie, jam inde ab initio praxis Christi, & Apostolorum in Ecclesiam introduxerit: Unicuique autem fidelium, ex his duobus communicandi modis, eum merito tenendum esse, quem Ecclesia, propter causas rationabiles, pro temporum ratione elegerit, & populo tradiderit observandum.*

§. XCVI.

*De extrema Unctione, Ordine, ac Matrimonio.*

**T**rigesimo tertio articulo Synodus inquit: *Parochis, & Ministris Ecclesiarum serio inhibemus, ne cui extra casum infirmitatis*

infirmittatis, aut necessittatis sacrosanctam *Sæcul. XVI.*  
 Eucharistiam, nisi jejuno, & confesso, por- *A.C. 1549.*  
 rigere præsumant.

Trigesimus quartus explicat extremæ  
 unctionis effectus, ac declarat, quod  
 hoc Sacramentum, dum per orationem  
 fidei infirmis adhibetur, per divinæ virtutis  
 operationem, contra corporis infirmitates,  
 & terrores conscientiæ, alleviationem, &  
 hilaritatem rite sumentibus præbeat, leviora  
 peccata tollat, & graviorum restantes re-  
 liquias expurget, juxta Apostoli testimonium,  
 & receptam consentientis Ecclesiæ doctri-  
 nam.

In trigesimo quinto definit, quod in  
 collatione Ordinum, quæ cum impositione  
 manuum velut visibili signo traditur, doceant  
 rite ordinatis gratiam divinitus conferri, quæ  
 ad ecclesiastica munera rite, & utiliter  
 exercenda apti, & idonei efficiantur: atque  
 rata sint, & efficacia, quæ a rite ordinatis  
 in Ecclesia juxta Christi, & Ecclesiæ insti-  
 tutionem, geruntur: hanc vero gratiam esse  
 ordinis, & muneris, non hominum, aut per-  
 sonarum, nec ad cujusquam privatam, sed  
 ad communem totius Ecclesiæ utilitatem ac-  
 comodari, ideoque in rite ordinatis, sive boni,  
 sive mali sint, efficacem esse.

Articulus trigesimus sextus Institu-  
 tionem, ac matrimonii necessitatem præ-  
 primis comprobatur, postea vero decla-  
 rat, *Matrimonia etiam sine consensu*  
*Parentum*



Sæcul. XVI. Parentum legitime inita non debere re-  
 A.C. 1549. scindi.

Mox tamen Synodus in articulo trigesimo septimo hæc addit: *Volumus tamen liberos sedulo admoneri, ut divini præcepti memores, velint in parentum esse potestate, nec illis insciis, aut invitis inire matrimonia, ac quidquam rei serio inchoare præsumant.*

Hanc in rem Synodi Patres in articulo trigesimo octavo hæc subjungunt: *Ut matrimonio suus honor conseruetur, conjunctiones conjugum volumus in conspectu Ecclesiæ, adhibita celebritate consueta, confirmari, ne per occultas copulationes, sub prætextu conjugii illicitæ libidines grassentur, & ut pericula, quæ ex clandestinis copulationibus suboriri possunt, excludantur: nomina contrahere volentium, ante conjunctionem, tribus diebus festiuis, non immediate se invicem sequentibus, sed per aliquot dierum intervalla a se distantibus, in Ecclesia coram multitudine proponi debeant.*

§. XCVII.

*De ritibus, S. Imaginibus, Reliquiis Sanctorum, ac precationibus pro Defunctis.*

Articulus trigessimus nonus hæc proponit: *veterem morem in Ecclesia sequimur, dum salem, aquam, & cæteras, quas*

quasdam res in usum fidelium, per orationes in verbo Dei præparamus, - - - quem Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.  
morem in Ecclesiis nostris præcipimus conservandum: dummodo pastores sedulo edoceant, effectus, qui inde petuntur, non ipsarum rerum efficaciam, sed divinæ virtutis operationi, per fortissimi Nominis divini invocationem tribuendos esse.

Similiter, inquit Synodus in articulo quadragesimo, etiam reliquas cæremonias, quæ mentes hominum ad pias, & utiles cogitationes excitare possunt, diligenter retinendas censemus: quales sunt, quæ in administratione sacramentorum adhiberi consueverant; quibus annumeramus, ut templa, velut orationum, & divini cultus, & sacramentorum officinæ, per loca idonea, habeantur: ad quorum ornatum, simul etiam velut divini cultus, & promovendæ pietatis apta instrumenta, in iis signa Crucis, aliasque imagines, vexilla, vestes sacras, altaria, & vasa sacra conservari & usurpari volumus.

In articulo quadragesimo primo ita pronuntiat Synodus: Imaginum usum velut pro erudienda plebe, & omnium animis excitandis utilem, in Ecclesiis nostris retineri serio mandamus, dummodo pastores nostri populum accurate moneant, imagines non ad id proponi, ut adoremus, aut colamus eas; sed ut quid adorare, aut colere, quæ quarum rerum utiliter meminisse debeamus,

mus,

Sæcul. XVI. A.C. 1549. mus, per imagines recordemur: procaces ve-

ro imagines & nimio artis lenocinio, ad mundanæ potius vanitatis speciem, quam ad pietatis commonitionem effigiatas, in templis proponi omnino vetamus, tam lascivam artis ostentationem frugi, & severo patrifamilias intra privatas aedes gravem, templis prorsus intolerabilem censentes.

His in articulo quadragesimo secundo adhuc ea, quæ sequuntur, addit: Cum utilis, & legitimus imaginum usus intra eos limites contineri merito debeat, ut simplex populus non ipsas imagines adorare, aut fiduciam in eis ullam ponere, sed quem adorare, quosve honorare, & unde omnia sperare debeant, per imagines discant recordari: Nos pravæ superstitioni viam præcludere volentes, omnibus locorum ordinariis injungimus, ut si forte in territoriis suis ad imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius imaginis figuram respectum habere, & quasi quamdam divinitatis opinionem illi tribuere animadverterint, ipsam imaginem, adhibitis prius in Consilium Theologis, & Christianarum antiquitatum scientissimis juxta, ac pientissimis viris, pro causæ qualitate, aut tollant, aut mutant, & aliam, a prima notabili quantitate differentem reponant; ne rudis populus, in intellectu suo depressus, & ideo per media corporalia ad divina erigendus, spem suam contra Ecclesiæ intentionem, in corporali, & quidem

quidem certa imagine, privata phantasia, at-  
 que inhaesione collocet, quasi in illa sit quae-  
 dam necessitas, ut per eam, & non aliter  
 inducatur Deus, & sancti id facere, quod  
 petitur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1549.

Articulus quadragesimus tertius  
 sacras Reliquias monet in Eccle-  
 siis vel ob id proponendas, & religiosa  
 pietate venerandas, ut per eas fideles com-  
 moniti, discant virtutem, & fidem sancto-  
 rum imitari, & alicubi in iis sanguinolent-  
 as notas, & pro fide Christi tolerati mar-  
 tyrii vestigia cernentes admoneantur; spem  
 fidei nostræ non esse inanem, pro qua om-  
 nia dira pati sancti Martyres in animum  
 sibi induxerunt.

In articulo quadragesimo quarto a-  
 gitur de sacris Peregrinationibus, eas-  
 que populo permittendas esse censet  
 Synodus, dummodo sedulo caveant Pa-  
 stores, ne usquam abusus irrepat.

In quadragesimo quinto Patres sta-  
 tuunt sanctos esse colendos eo societatis, &  
 dilectionis cultu, quo in hac vita Sancti ho-  
 mines rite coli possunt, quorum etiam me-  
 ritis associari, & orationibus adjuvari rite  
 petimus.

Articulus quadragesimus sextus  
 comprobat orationes pro defunctis, si-  
 mulque quasdam profert rationes, quæ  
 carcerem piacularem dari confirmant.

Dein-

Sæcul. XVI. Denique articulus quadragesimus  
A.C. 1549 septimus commendat jejunii, ac absti-  
 nentiæ legem, eamque ex legitimo Ec-  
 clesiæ præcepto descendere statuit.

## §. XCVIII.

*Capita pro emendatione disciplina,  
 ac morum.*

Altera pars, quæ morum correctionem spectat, quinquaginta septem complectitur capita, quorum potissima pars ex priori Moguntino Concilio desumpta fuit; quocirca hoc loco nonnisi eorum titulos recensebimus.

*I. De Constitutionibus Ecclesiæ.*

*II. Ne ignoti & inexplorati ad prædicationis munus admittantur.*

*III. Observandi Parochi, & concionatores, quomodo quisque doceat.*

*IV. Videndum, quibus libris parochi, & concionatores passim utantur.*

*V. Plebs, ut concionibus, & divinis intersit, per magistratus adigenda.*

*VI. De Horis Canonicis.*

*VII. Quæ ad tremenda Missæ mysteria requirantur?*

*VIII. Presbyteri cum irreverentia Missas celebrantes coercendi.*

*IX. De præmittenda Sacerdotum Confessione ante Sacrificium Missæ.*

*X. Mis-*

X. *Missæ sub Concione, aut solenni sacro non celebrentur.* Sæcul XVI.  
A.C. 1549.

XI. *Concionatores plebem verum Missæ usum diligenter edoceant.*

XII. *Missæ quo gestu, aut qua devotione audienda?*

XIII. *In primitiis omittendæ commensationes.*

XIV. *Sanctorum solennitates Dominicis cedant.*

XV. *De sacris libris recognoscendis, & repugnandis.*

XVI. *De examine prælatorum.*

XVII. *De his, qui plura beneficia curata obtinent.*

XVIII. *De generalibus studiis restaurandis, & conservandis, & de adolescentibus ad studia publice alendis.*

XIX. *De Clericis sæcularibus, & regularibus ad studia ablegandis: & de studiis apud monasteria instaurandis, & conservandis.*

XX. *De Theologiæ apud Ecclesias collegiatis professoribus.*

XXI. *De patronis, & collatione beneficiorum.*

XXII. *De admissione ad beneficia ecclesiastica, & eorum resignatione.*

XXIII. *De justa distributione proventuum Ecclesiasticorum.*

XXIV. *Ut præpositi, Decani, Scholast. Ecclæs. Tom. XXIX. Bbb la*

Sæcul. XVI. Iustici, Custodes, & Cantores, apud Eccle-  
A.C. 1549. suas suas resideant.

XXV. De modo deservendi quotidiana-  
 nas distributiones.

XXVI. Otiosas deambulationes in Ec-  
 clesiis inter divina prohibendas.

XXVII. De honestate, & decencia  
 Clericali.

XXVIII. De decimis, & offertoriis  
 persolvendis.

XXIX. De foro competenti, & immu-  
 nitate Ecclesiastica.

XXX. Quibus Episcopi, aut Archi-  
 diaconi suas vices committere debeant.

XXXI. De regularibus.

XXXII. De clausuris monasteriorum  
 Virginum.

XXXIII. Pastores, & alii Ecclesiis  
 suis, quibus per se non præsumt, idoneos &  
 perpetuos Vicarios præficiant.

XXXIV. De promovendis ad sacros  
 Ordines.

XXXV. De ordinandorum testimonio.

XXXVI. Qui in baptismo unctiones  
 sacri olei, & chrisimatis, juxta vetustissimum  
 Ecclesie morem, non susceperint, ad sacros  
 ordines ante talium unctionum suppletionem  
 non admittantur.

XXXVII. De iis, qui ordinantur ex-  
 tra suas dioceses.

XXXVIII. De honore praelatorum.

XXXIX.

XXXIX. *Ne domicellares Canonici ante merita virtutis, & doctrinae ad capitula assumantur.* Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

XL. *De juramentorum exactiōe restringenda.*

XLI. *Pecuniae ex statutis beneficiatorum, aut aliunde cedentes, in Ecclesiarum utilitatem impendendae.*

XLII. *De rebus Ecclesiarum diligenter curandis.*

XLIII. *De procuratione, seu fabricis Ecclesiarum parochialium.*

XLIV. *De simonia.*

XLV. *Ut parochi Sacramenta gratis administrent.*

XLVI. *De competentiis parochorum.*

XLVII. *De Clericis peregrinis.*

XLVIII. *De sacellanis nobilium.*

XLIX. *De Magistris Scholarum.*

L. *De testamentis, & ultimis voluntatibus.*

LI. *Mercatus diebus Dominicis, & festiuis prohibendi.*

LII. *De libris per typographiam publicandis.*



Sæc. XVI.

A C. 1549.

LIII. De pœna Clerici percussoris, aut rixosi contra alium clericum.

LIV. De pœna sortilegiorum.

LV. De Clericis concubinariis.

LVI. De excommunicatione.

LVII. De vitandis excommunicatis.

Speciatim tamen in hisce capitibus quædam observanda veniunt, ac I. quidem, præcipit Synodus, ut Prælati Monachos in apostasiam ex quacunque causa lapsos, & cum humilitate redire volentes, juxta cujuscunque ordinis disciplinam sive regulam, & consuetudinem observatam benigne accipiant, nec eis pro excessibus graviores pœnas, quam quæ in sacris Canonibus, & regulis ordinum expressæ sunt, imponant.

II. Sanctorum celebritates in diem Dominicam incidentes, in capite decimo quarto censet Synodus esse submovendas, & in aliam feriam transferendas, ab hac tamen lege excipit Beatæ Mariæ, Apostolorum, aliasque majores festivitates.

III. Inhibet Synodus in capite trigesimo secundo, ne Sanctimoniales, cujuscunque ordinis, quas votum sub perpetua clausura manendi adstringit, quacunque de causa (nisi sola inevitabili necessitate compulsa, aut tali morbo infectæ, unde ex contagione

tagione aliis periculum immineret) confor- Sæcul. XVI;  
 tium sororum suarum relinquere, aut extra A C. 1549.  
 monasterium prodire, ullo modo præsu-  
 mant.

IV. Prohibetur etiam in capite qua-  
 dragesimo octavo, ne Sacellani nobilium  
 in Sacellis castrorum Missas celebrare, aut  
 alia Sacramenta conferre, aut etiam prædi-  
 care præsumant, nisi super eo auctoritatem,  
 & Consensum Ordinariorum obtinuerint.

V. Synodus in capite quadragesi-  
 mo nono serio injungit, ut scholarum Ma-  
 gistri, quos honestas vitæ, ac fidei inte-  
 gritas commendat, & de nulla hæresi  
 suspecti sunt, erudiendæ juventuti præ-  
 ficiantur.

VI. In capite quinquagesimo secun-  
 do præcipit, ut libri de erroribus suspe-  
 cti, vel sine Auctoris nomine editi sup-  
 primantur, ac proscribantur.

VII. Synodus in capite quinquage-  
 simo sexto prohibet, ne Officiales sen-  
 tentiam excommunicationis, nisi competenti  
 admonitione præmissa, & in præsentia fi-  
 de dignorum hominum (ut, si necesse sit,  
 testimonio eorum comprobari queat) promul-  
 gare præsumant.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

VIII. Denique in capite quinquagesimo septimo innovatur Basileensis Synodi decretum *circa commercium cum excommunicatis nondum denuntiatis.*

Benevole Lector!

*Cum ob materiarum amplitudinem hic tomus ad molem ceteris magis vastam excresceret, hinc præsentem librum CXLV. dividere, ac residuos illius Paragraphos ad subsequentem tomum rejicere oportuit.*



INDEX